

4° V
375






L E Bigot



EPITOME TOTIVS ASTROLOGIAE, CONSCRIPTA A IOANNE Hispalensi Hispano Astrologo celeberrimo, ante annos quadringentos, Ac nunc primum in lucem edita.

Parisiensis Catalogo Inscriptus

CVM PRÆFATIONE IOACHIMI HELLERI LEVCOpetræi, contra Astrologiæ aduersarios.


Joannis hispalensis isagoge in astrologiam

m. Bigot

Noribergæ, in officina Ioannis Montani, & Vlrici Neuber, Anno Domini M. D. XLVIII.



CLARISSIMO VIRO EXCELLENTI DOCTRINA ET VIRTVTE PRAEstanti, D. Ioachimo Camerario, Ioachimus Hellerus S. D. P.



VM IN OMNI genere doctrinæ infinita subinde nascuntur calumniarum portenta, uir clarissime, quibus praua ingenia, impulsore diabolo, ueritatem uel deformare, uel obruere conantur: Tum uero hæc ipsa ars, quæ de motibus & effectibus cœlestium corporum præcepta tradit, singulis ætatibus hoc pre cæteris incōmodo laborauit, ut perpetuo acerbissimis sycophantarū morsibus esset obnoxia. Ac satis declararūt in hac insectanda causam odij sui homines partim Epicurei, partim impij, qui cū assiduè in eo sint occupati, ut fidem prouidentiæ ac gubernationis diuinæ animis humanis excutiant, cuius manifestissima testimonia in hac astrorū doctrina extant, nihil in ea inconcussum, illabefactumq; relinquere uoluerunt. Nam ipsa harmonia omnium corporum ac motuum in cœlo, certissimum est argumentum, pulcherrimum illud opificium à mente quadam di-

uina & conditum esse & gubernari consensus euentuum multorum annorum, ex quo ars *diuinandi ex* diuerso astrorum positu extitit, illustre est τεκμήριον, omnes illos motus stellarum, atque adeo singula sidera ad certas effectiones in natura à mente Dei sapientissima esse destinata. Econtra *quibus* non contumelijs ac calumnijs à tam *mirandi operis contemplatione* animos hominum *abstrahere semper conati sunt peruersi sophistæ, quid non negocij fecerunt artis huius professoribus?* ita ut assiduè illis quasi in acie standum fuerit, ac dimicandum contra illorum maledicta, qui cum ne nunc quidem desinant lacessere: paucis hoc loco eorum errori ac liuori occurrendum existimaui.

Repræhenditur autem Astrologia ab aduersarijs potissimum duplici nomine, uel quòd artem hanc fingunt esse uanam prorsus ac falsam, uel quòd eam tanquam superstitiosam, & homine Christano indignam arguunt ac damnant.

Ordine igitur ad hæc conuitia respondebo. Prior reprehensio artis, quorundam Philosophorum ac Medicorum est, qui negant artem hanc certis inniti causis, & effectus, quos uniuersaliter ad astrorum influentias referunt artifices, ad materiam potius accommodare student. Ac Philosophi quidem potius hac in re Aristotelem: Medici uero Hippocratem, principes totius doctrinæ de rebus naturalibus audire debebant, quàm imperitorum hominum partim stultis, partim iniquis auscultare iudicijs.

Nam Arstoteles libro primo de Metheoris eruditissimê

ſime ratiocinatur, quòd ſit haud dubiè motus cœleſtium corporum efficax in rebus inferioris naturæ, in hunc ferè modum diſſerens: Id à quo initium eſt motus, procul dubio cæteris etiam rebus uim mouendi impertit, Sed cœli motum primum in natura extitiſſe hominibus philoſophis ambiguum *non eſt.* Non *igitur* in dubium uocari debet *eius motus in rebus inferioribus uis* & efficacia. *Simile* quiddam *in animantium corporibus* expe*rimur, in quibus* ſicut exordium uitæ ac motus à corde manare conſtat: Ita certiſsimum eſt & uiuendi & mouendi uim omnem à corde reliquis membris diſtribui, eoq́ confoſſo, non modo motum, ſed & uitam in animantibus extingui. Hanc Ariſtotelis ſententiã Philoſophis iudicandam proponimus: Medici ſuum audiant Hippocratem, qui in libro de aëre, aquis & locis, ſic de Aſtronomia ſcriptum reliquit.

εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέωμ τὰς μεταβολὰς, καὶ τῶν ἄστρων ἐπιτολάς τε καὶ δύσιας, καθότι ἕκαστον τουτέων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος, ὁκοῖόν τι μέλλει γίγνεσθαι. οὕτως ἄν τις ἐρευνώμενος, καὶ προγινώσκων τοὺς καιροὺς, μάλιστ' ἂν εἰδείη περὶ ἑκάστου, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνοι τῆς ὑγιείης, καὶ κατ' ὀρθὸν φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα ἐν τῇ τέχνῃ. εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρολόγα εἶναι, εἰ μεταστὰς αἱ τῆς γνώμης, μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστομ μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστομ. ἅμα γὰρ τῇσιμ ὥρῃσιμ, καὶ αἱ κοιλίαι μεταβάλλουσιμ τοῖσιμ ἀνθρώποισιμ. Audis hic anni qualitatem ex aſtris præſciri poſſe, audis eam ipſam doctrinam, quę ex aſtrorum ortu & occaſu futuras tempeſtates & anni accidentia colligit, plurimum conferre ad rem Medicam, ad notandas temporum occaſiones, ac in fine additum experimenti loco ἅμα γὰρ τῇσιμ ὥρῃσιμ, καὶ αἱ κοιλίαι μεταβάλλουσιμ τοῖσιμ ἀνθρόποισιμ. Et ut intelligatur ipſum non de Solis, ac planetarum

tantum uiribus uerba facere, sed integram Astronomiæ doctrinam complecti uoluisse, aliquantulum infra in eodem libello post mentionem solstitiorum & æquinoctiorum subijcit: δεῖ δὲ καὶ τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι, καὶ μάλιστα τοῦ κυνός, ἔπειτα ἀρκτούρου, καὶ ἔτι πληϊάδων δύσει. τά τε γὰρ νοσεύματα μάλιστα ἐν ταύτῃσιν τῇσιν ἡμέρῃσιν κρίνεται, καὶ τὰ μὲν ἀποφθίνει, τὰ δὲ λήγει, τὰ δὲ ἄλλα πάντα μεθίσταται εἰς ἕτερον εἶδος καὶ ἑτέρην κατάστασιν.
Quo igitur ore Philosophi aut qui Medici perhiberi uolunt, tantorum uirorum autoritatem & *iudicium uel* eludent uel repræhendent? Quorum alter uim mouendi in hæc inferiora cœlo defluere, alter ex ortu & occasu siderum non anni solum, sed morborum etiam qualitatem iudicari posse affirmat. Si qui uero sunt, qui horũ autoritatẹ se uinci non patiuntur, concedant saltem ueris rationibus & experientiæ testimonijs, ac si sunt rerum naturalium inspectores, an non uident quòd Aristoteles prẹclarè dixit libro primo de partibus animalium (ὡς ἐν ἅπασιν ὄντος φυσικοῦ καὶ καλοῦ· τὸ γὰρ μὴ τυχόντως ἀλλ' ἕνεκα τινὸς ἐν τοῖς τῆς φύσεως ἔργοις ἐστί) *id in tota rerum natura uerissimum* esse? Nam *uel maximè sic se habent* naturæ opera, ut non sint temere, sed ad certum finem condita, Ac sæpe celebratur dictum Hesiodi Poëtæ, ὅτι καὶ ἐν μαλάχῃ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ. Iam si in inferioribus ac caducis rebus nihil tam exiguum abiectumq; inuenitur, quòd non habeat peculiarem quandam uim: qua fronte quæso id de cœlo ac stellis in eo hẹrentibus pernegabimus? quẹ reliqua mundi corpora pulchritudine, puritate, perpetuitate, luce deniq;, qua nihil habet hoc uniuersum efficaicus aut mirabilius, longissimè antecellunt. Deinde cum in tanta motuum cœlestium uarietate, certissimæ tamen leges, ac regulæ

gulæ motuum reperiantur: absurdum est dicere pulcherrimam illam harmoniam ac uicissitudinem, sapientissimè à diuina mente constitutã in motibus corporum cœlestium, certo usu carere. Apparet in singulis animantium corporibus, ordinem ac συμμετρίαν omnium partium membrorum ac *motuum ad certas actiones* esse accommodatum, *Eumne igitur in* pulcherrimo *illo mundi* opificio *frustra ac fortuito* existere arbitrabimur? Interim Re*moram pisciculũ* nauẽ *uentis* uelisq; ac remis impulsam sistere credemus, ac innumera alia naturæ in rebus inferioribus, quæ magis agitari casu uidentur, miracula: de clarissimis cœli luminibus, quorum motus perpetua analogia diuinitus reguntur, nihil simile uel cogitabimus uel sentiemus, imô potius ea, quæ à uiris sapientissimis de motibus & effectibus siderum multorum seculorum euentibus animaduersa sunt contemnemus, deridebimus, damnabimus, explodemus.

Verum qua ratione id faciemus? an quia non similia miracula à *lumine cœlesti effecta, in* hac *inferiori* natura oculis nostris contemplanda obijciuntur. Imô non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum eloqui mirificos astrorum effectus re ipsa comprobatos ualeam. Eorum igitur aliquos recensebo, qui sensibus nostris maximè sunt obuij. Vergilias herbas cum exortu sideris sui exortas cum occasu eiusdem interire compertum est, quòd sidus in tempestatibus quoq; ciendis magnam uim habere & Poëtarum & rerum rusticarum libri loquuntur, & experientia confirmat. Sic hoc ipso tempore quo hæc scribebam aliquot diebus ac noctibus ferè continuos

hymbres

hymbres, ac turbidam cœli faciem habuimus, propter Martis cum Pleïadibus congressum ratione longitudinis tantum, non sextili Veneris pridie Idus Augusti, non Idibus ipsis Iouis trigono ac quadrato Mercurij, alterius ex igneo, alterius uero ex terreno signo ad Lunam in igneo signo positam quidq; ad siccam aëris temperiem facientibus. Cum enim coniunctio fortissima sit, radiationum destruit omnem aspectum, ut hic noster autor loquitur. Iam si exiguis stellis experientia tantam roboris ac uirtutis famam conciliauit: nihil uideo causæ, cur efficaciæ fidem omnem reliquis & maioribus multò & longè illustrioribus astris detrahamus. Quorum uim ac potentiam non ea solum testantur, quæ de Nili incrementis, de maris æstu, conchilibus ac cancris, ipsarumq; Zonarum in terris sub diuerso cœli ac siderum situ discrimine in frigiditate, caliditate, humiditate, siccitate, ueterum sapientum libris memoriæ posteritatis commendata sunt: Sed multò manifestius se tempestatum uentorumq;, frigoris ac caloris, humiditatisq; ac siccitatis uicissitudines, quas proprijssimè à cœlestibus pendere causis, & supra recitata Hippocratis testimonia, & omnium Philophorum (qui quidem sanam ac consentientem naturæ doctrinam amplexi sunt) conuenientes probant sententiæ, atq; his astipulatur perpetuò consentanea causis cœlestibus experientia.

Multis enim iam seculis omnium temporum euentibus exploratum habemus, magnas planetarum coniunctiones in signis calidis, & siccis non mediocres æstus ac siccitates efficere, easdem uero in signis frigidis, ac humidis,

dis, frigore horridas, ac humidas, mouere tempestates. Porrò inde & in rebus ex terra nascentibus, illi germinum frugumq; prouentus, pro cœli uarietate dissimiles proueniunt, & (ut Hippocrates ait) anni qualitas ex aëre præsciri potest. Sunt igitur reperti inter aduersarios artis, qui autorum etiam non Astrologicorũ scriptis conuicti, concederent esse quidem aliquos siderũ effectus: sed huiusmodi quales solent esse causæ uniuersalis, ita ut astra pro diuerso accessu uersus verticẽ regionis, aut recessu in diuersam mundi partem, illas primas qualitates frigoris, caloris, humiditatis ac siccitatis in aëre uariare crederent.

Huc enim eos adducebant Pleïadum, Hyadũ, Capræ, Hœdorũ, Aquilæ, Asellorum, utriusq; canis, Orionis, Basilisci, Arcturi, Aristæ, Fidiculæ, aliarumq; constellationum, ac magnarum coniunctionum pleraq;, ne uulgo quidem nautarum & agricolarum ignota, in tempestatibus ciendis miracula, quibus doctrina de tempestatum Prognosticis stabilitur, uelint nolint aduersarij.

Verum interim reliquum doctrinæ genus in uniuersum reiiciunt, ac auribus animisq; prorsus auersantur. At quæ inscitia & arrogantia est: ea quæ simplici coniectura consequi possis, quæq; ipse obseruaueris tantum approbare: cæteris præstantissimorum artificum sententijs & obseruationibus non introspectis, nõ examinatis ulla diligentia, sic omnem abrogare fidem, ut neq; causæ diuinationum probabiles, neq; perpetuæ ac congruentes multorum annorum experientiæ, ad

asserendā earū ueritatē apud præoccupatos falsa artis in famia iudicū imperitissimorū animos quidq̃ loci aut momēti habeāt. Qui quidē si sanis tantum ac satis præsentibus uterentur animis, cogitarent saltem, quæ nam ex supra concessis bona sequela, à mediocriter prudentibus & exercitatis *in rebus naturalibus*, colligi possint. Nam (*ut obiter* Genethlicarū *diuinationum* præcipua fundamenta percurramus) cum constet *lumen* cœleste parere primas qualitates, easq́ uarie miscere: ambiguū porrò esse nō potest, etiam in secūdis qualitatibus maximas alterationes oriri ex diuersis primarū mixturis. Cū enim lumine cœlesti efficiente diuersas uices qualitatū in aëre, uariè afficiantur etiā subiecta corpora, in dubiū uocari non poterit, quin ex *diuersis illis affectionibus*, dissimilia quoq́ temperamenta in corporibus *inferiori*bus nascantur. Sic à primis qualitatibus secundarū, hoc est, quatuor humorum naturaliū ac temperamentorū *in corporibus, origo deriuatur*. Nam *ex calido & humido temperatis nascitur* κρᾶσις sanguinea, ex calido & sicco cholerica, ex frigido & humido phlegmatica, frigiditas uero cū siccitate melancholicā gignit constitutionē. Nec potest ulla uerior monstrari causa illarum diuersitatum in temperamentis, cur uidelicet aliud corpus ad sanguineam, aliud ad colericam, aliud ad phlegmaticam, aliud uerò ad melancholicam crasin propius accedat, quàm quòd sub diuerso siderum positu corpora edita sunt. Physicus ignarus aut contemptor huius doctrinæ deprehendet quidem in natura corporum, humores naturales ita uariè inter se confusos, ut alia ad aliam crasin magis declinēt; Sed causas, quæ qualitates illas ita uariè

temperarint,repudiatis huius artis præceptis, quas mihi
nisi uanas comminiscetur: aut saltē uim quandā occul
tam in natura agentē esse fatebitur,qualis aut unde sit
non explicabit. Nos autem & rationibus his , & experi
entia instructi,scimus,quòd quæcunq; primū sub hanc
cœli lucē prodeunt,*ea tenera & mollia* cū sint,haud ali-
ter siderum *uim excipiunt*,quàm plumbū *aut cæra*,quę
calore ignis liquefacta,ac postea primū in subiectā for-
mam effusa,certam figuram induunt. Ac erudite Hip-
pocrates in eo libro,quem supra citaui,refert causas di-
uersitatis naturarum in diuersis terrarū locis ad lumen
cœleste,cum ait Asiam plurimum differre ab Europa,
secundum naturas omnium ex terra nascentium,homi-
num item ac reliquorum animantium,quæ omnia lon-
gè maiora,pulchriora,temperatioraq; Asiam produce-
re,ait,propter temperatam totius anni mixturam,cuius
hāc allegat causam,quòd ea regio in medio Solis(cuius
uestigia etiam reliqui planetę sectantur)exortu ad auro
rā sita,à frigiditate & caliditate omni remotior sit quàm
Europa. Et Galenus diserte inquit , affici animantium
corpora à lumine planetarum,magnamq; eorum om-
nium uim esse in temperamētis & miscendis , et turban
dis . Vnde tanta etiā est in progeneratis dissimilitudo,
alios natura uiuaciores & robustiores nasci cōperimur,
alios minus durabiles infirmioresq;. Vt qui prope lumi
narium Synodos eduntur in lucem, Saturno aut Marte
infœliciter Lunā respiciente,ij natura imbecilliores eua-
dunt , ac pleriq; intra nutritionis annos extinguntur,
quod & ego domestico malo filij primum,deinde filiæ

 obitu

obitu, & alij infinitis exemplis experti sunt. Sunt autem eius rei Physicæ causæ, Cum enim humidũ radicale (ut uocant) quod uitæ alimentũ est, in eiusmodi corporibus minus forte sit propter eius tenuitatem effectam, à combustione Lunę, in qua omnes humores sensibiliter minuũtur, facilè absumitur nimia siccitate, qua eorum corpora peruruntur. Hæc igitur cum & experientia certa & rationibus constent, extenuari aut damnari nõ debent. Quæ dixi hactenus planissimè cõfirmant ea, quæ de temperamentis ac uita hominum tradunt Astrologi. Cæterum in confesso est omnibus, quod Galenus docet, animi adfectus imitari corporũ temperamenta, & Hippocrates eodem loco quo suprà, Asiaticorum quoque ingeniorũ benignitatẽ inde proficisci ait, quòd eorũ regio ad medium Solis exortum sita, remotior sit ab omni caliditate & frigiditate, ac nihil habeat præcellens aut cogens uiolenter, sed per omnia æqualitas uigeat. Et paulò infrà de ijsdem dicit, quia non magnas permutationes experiantur, neque caloris neque frigoris, euenire ut neque mentes eorũ stupore percellantur, neque corpora fortem transmutationem incurrant, unde uerisimile sit iram exasperari, cognitionemque & calorem amplius excitari, quàm si semper in eodem statu quis persistat. Mutationes enim (inquit) sunt, quæ hominis mentem subindè excitatiorem reddunt. Ad hanc luminis cœlestis efficaciam allusit & Virgilius cum ait:

Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni,
Nec tam auersus equos Tyria Sol iungit ab urbe,

Nam fingit mitiores Chartaginenses, cum sint uicini-

ores

ores uiæ solari, Sicut autem hæc discrimina in gentium ingenijs, propter dissimilitudinem temperamentorum in singulis regionibus reperiũtur: Ita etiam in singulorum hominũ naturis inter se comparatis, elucet similis animorum uarietas, ex eadem temperamentorum diuersitate manans. Quæ quidem inclinationũ naturaliũ dissimilitudo etiam actiones, studia, moresq́ʒ fingit naturæ suæ cõuenientes. Quapropter eleganter Ouidius:

Naturæ sequitur, semina quisq́ʒ suæ.

Cæterum ut apparet in tempestatibus excitãdis magnas cõiunctiones, & alias fortes stellarũ inter se cõfigurationes insignes habere effectus, ita perspicuũ quoq́ʒ est in inclinationibus animi, actionibus, studijs, moribusq́ʒ formandis, singulare quiddã efficere potẽtes stellarũ positus ac cõgressus, propter excellentes trãsmutationes & excessus in ipso temperamẽto, quibus etiã mẽtes (ut dicit Hippocrates) percelluntur, & excitatiores fiunt. Atq́ʒ hoc quidem in genere eam siderum cõstitutionem sub qua egregium ac fœlicem bellatorem nasci contingit, Martem, Mercurium, Solem ac Iouem benigna & forti permixtione, in idoneis cœli locis, ac in cholericis & Martialibus signis copulatos habere inuentũ est, ut in maximiliani Imperatoris natiuitate Sol in exaltatione sua cum Mercurio Arietis signum tenebat, in septimo figuræ natalitiæ domicilio, Marte ex regio Solis signo trigona radiatione, ac forti & mutua receptione cum eis commixto, Ioue autem Horoscopi lineam ferè possidẽte. Fuit igitur prælijs ferè omnibus inuictus. Sic regem potentem & fœlicem significat coniunctio ali-

quot erraticarũ in signo aut trigono coniunctionis magnæ, ut hoc nostro seculo in Imperatoris genesi, coniuncti Iupiter, Sol, Venus, Mercurius in piscibus (quod signum est magnæ coniunctionis hac ætate) illustrem habent potentiæ ac fœlicitatis significationem. Sunt item peculiares *constellationes*, quæ natis excellentia ingenij dona *decernũt, uidelicet coniunctiones* aut fœlices configurationes Mercurij, Lunæ, *Martis, Iouis* ac *Solis* in trigono signorũ aërio. Qualis fuit in *Regiomõtani uiri* clarissimi natiuitate, Mercurij, Lunę, Martis, Solis in Geminis humano & aërio signo cõgressus, Ioue in eodem trigono ex Libra fœliciter synodum illorũ intuente. Claritatem nominis decernebant Sol et Luna, cum *reliquis erronibus*, excepto Saturno, supra *horizontẽ* extantes.

In genesi *Dureri simile* quiddã fuit, Huic *nascenti*, Saturnus, Sol, Venus, & Luna in Geminis coniuncti affulsêre, in undecimo signo ab Horroscopo, cũ sextili *Martis radio in Ariete, quod propriũ est Martis domicilium, Mercurio in medio cœli culmine* Tauri signum possidente ea in parte, quam propter duarum anteriorum Vergiliarum locus erat, permutatis inter ipsum ac Venerẽ domicilijs. Huic suffragabatur trigonica Iouis affulsio, Erantq; Venus, Sol, & Luna cũ insigni asterismo sex lucidorum siderum, quorum quatuor in Orione fulgẽt, duo in auriga, quæ pari numero sunt tertij ac secundi honoris (ut autoris nostri uocabulo utar) & hanc *constellationẽ nobilis* iste pictor ferè cum Regiomontano nostro communem habuit, ac fuit rerũ Geometricarũ, & Optices (ut ex eius *monumentis* apparet)

non

non imperitus. Hic tamẽ in eo Mercurij signo Venerẽ habuit, quo ille Mercurium, & postea Mercurium in Tauro Veneris domicilio orientalem à Sole, quæ uiri præstantem industriam magis ad γραφικά inclinabant. Quod ad splẽdorẽ nominis attinet pares habẽt uterq; significationes, huic solus *Iupiter, illi* Saturnus in subterraneo cœli loco *collocabatur. Sic Cicerone* nascente *Regulus in lin*ea Horoscopi, post hunc Sol cum cauda Draconis, Mercurio, Venere, & Marte, in eodem signo regio existebant, duobus superioribus ex Scorpione, (quod tunc signum magnę coniunctionis erat) quadratos ad earum Synodum radios adiungentibus. Hi stellarum positus excellentem illum ac Regium oratorẽ dederunt, quamuis cauda cum Sole nonnullam in patre humilitatem declarabat. Timidiorem illum faciebat Veneris cũ Marte in tetragono superiorum Planetarum congressus: non tamen uiolentam mortem à trium su*periorum hostilibus inter se radijs interminatam*, effugere potuit. *Ingenij ac eloquentiæ suauissima* dona Erasmo præbuerunt Venus & Mercurius cum spica uirginis in aërio signo couiuncti, Ioue ex Geminis in eodem signorum trigono eos fœliciter illustrante. Ecclesiasticas dignitates, à Ioue significatas, Mars ex tetragono Iouem impugnans, interpellauit.

Hæc exempla ostendunt præclarissimarum uirtutum & artium signa in cœlo nobis ob oculos posita. Sunt autem ẽ diuerso sua etiam indicia, quibus praui animorum impetus, & distortæ ingeniorum naturæ deprehenduntur, ut in Neronis genesi Venus in Tauro cum

Marte

Marte coniuncta, ac Iouis obiecta diametrali radiationi, Saturno etiam cõfundente cum eis suos radios, Sol item cum cauda draconis in quadrangulo Saturni, Luna in quadratura Mercurij, tam tristes & hostiles configurationes omnium erraticarum, ueram referunt imaginẽ peruersitatis ac immanitatis Neronianæ, qua nulla melior pingi aut fingi posset.

Infinita possent exempla recenseri: Sed ut rei infinitæ tandem modum aliquem finemq; statuamus, ad reliqua pergemus. Hactenus cõfirmauimus rationibus & experientia, astra non ad tempestates solum mouẽdas: Verumetiã ad temperamẽta inclinationesq; naturales ad certas actiones, studia, uirtutes ac uitia, plurimũ adiumẽti adferre, unde facile iudicari potest, dissimiliũ actionum, studiorum ac morum dissimiles etiã forè exitus, qui etsi in bonis etiã uiris (ut supra in Cicerone) interdum tristes sunt: Tamen reperiuntur in ipsorũ quoq; thematis genethliaicis certa eius rei argumẽta. De sceleratorum uero atrocibus supplicijs astrorum influxu significatis, possem innumera ferè exempla cõmemorare. Sed ne in immensum nobis extendatur oratio, aliqua tantum recensebo. Neronis horribilem interitum portẽdebat Saturnus octaui loci dominus in Solis quadrato, qui in linea Horoscopi constitutus, significator uitę fuit, accedentibus etiam ad locũ Saturni Martis ac Veneris, in duodecimo loco cadentium aspectibus, Humana manu moriturum uterq; significator in humano signo ostẽdebat, propria uero quòd ambo domicilia significatorũ eidem domino propria erãt: & hũc exitum

Sullæ

Sullæ illius filius, illi non minus uerè quàm Caligulæ prædixisse scribitur. Libens hoc loco prętereo ueterũ Astrologorum Ascletarionis & Trasulli certitudine ipsa penè miraculosas uulgo prædictiones, ne in immensum nobis extendatur oratio. Huiusmodi autẽ exempla comprobant communem sententiam, fortunam plerumq; respondere moribus. Cæterum plurimum in omnibus malis augendis exulcerandisq; potestatis habent Eclipses, traiectiones, & aliæ impressiones, quæ cum toti naturæ tetræ horrendæq; sunt, tum etiam singulis hominibus, in quorum nascentium genituris cœli cardines aut luminarium loca occuparint. Quod ipsum possem aliquot exemplis testatum facere, nisi me epistolæ leges cohiberent, in angustumq; cogerẽt. Puto autẽ me iudicibus non morosis supra recitatis argumentis, & experientiæ ac sapientum testimonijs de doctrina in mutatione aëris ac Genesium iudicijs satisfacturum.

Reliquum est tertium prædictionum genus, quo regnorum fatales casus ac mutationes ex magnis coniunctionibus, Eclipsibus, Cometis, alijsq; impressionibus prædicuntur, quas naturaliter omnium hominum animi tum cum conspiciuntur, in tristia portenta uertere consueuerunt. Quanquam autem sapientuli quidam ostentorũ opinoinem negant affingendam illis magnarum coniunctionum & Eclipsium Phænomenis, eò quod naturali causarum ordine statis temporibus fiant, adeò ut præsciri antè & prædici possint, Prodigiosa enim ea tantum esse, quæ præter usitatum naturæ cursum extra certam & perpetuam seriem causarum & effectuum naturalium

fiunt. Tamen nimis ieiuna eſt eorum ſapientia, quæ à communi & naturali conſenſu ſanorum hominum, & ab experientia diſcedit, quæ teſtantur hæc eſſe in mundo quaſi conſpicua Dei oracula, diuinitus in natura ordinata, ut his imminentes calamitates & mutationes humano generi ſignificentur. Quare ex ſuperiori argumento hoc potius illi (plus æquo acuti) colligere debebant, & coniunctiones ipſas ac Eclipſes, & earum decreta, cum utracꝫ in motibus ipſis & influentijs naturales habeant cauſas, & ad præſtituta diuinitus tempora iuſto ordine contingant, inter monſtroſa aut prodigioſa non eſſe referenda, cum hic proprius ſit & ordinatus illarum apparentiarum finis, non ut conſpectus tantum gratia extent ob oculos, Sed (quod omnium ſeculorum euentus docuêre) ut ſint ſigna rerum futurarum. Porrò de coniunctionibus magnis paſſim obuia ſunt apud artifices uetuſtiſsima exempla magnarū mutationum, quæ ſecutæ ſunt. *Ea, qui uolunt, petant à ſuis autoribus.* Nos hic, quia in ſignficationibus magnarum mutationū pleruncꝫ concurrunt & coniunctiones magnæ & Eclipſes, quæ impreſsiones quocꝫ illas ignitas in aëre ferè ſolent parere, exempla inſignium calamitatum cum cauſis cœleſtibus coniuncta recenſebimus.

In expeditione illa Xerxis, qua nulla maior copiarum numero in hiſtoriarum lectione reperitur, uiſus eſt Sol obſcuratus & κερατοειδὴς ardens, quorum utercꝫ admonebat Xerxem de triſti exitu eius expeditionis.

Primo anno belli Peloponenſiaci, quod inter ſe Græcæ ciuitates geſſere, Eclipſim Solis tantam fuiſſe proditum eſt,

tum eſt, ut ſtellæ medio die, quaſi nocturnis tenebris inuoluto mundo fulgerent. Arſit eodem anno horribilis Cometes, per dies quinque & ſeptuaginta, ac lapis ingenti magnitudine cœlo delapſus creditur in Inſulam Ægos potamos, quaſi deſignante tum Deo fatalem locum, in quo poſt peſtem primum *inauditam*, poſt euerſas præcipuas Græciæ *urbes, poſt tot* exercitus cæſos, poſt tam uariam *belli funeſtiſsimi* fortunam per annos ſex *et uiginti, tandem* extrema clade proſtratæ ſunt uires Athenienſium. Ita demum ipſe euentus docuit, non ſine maximo tum patriæ, tum uniuerſæ Græciæ malo, ducem Athenienſem Periclem, aſtrorum monitus contempſiſſe.

Sub Claudio Imperatore conſpecti tres Soles, Galbæ, Ottonis, & Vitelij bella ciuilia de Imperio ſignificarunt, ac poſtea Neronis tempore Cometa ſex integris menſibus fulgens, Romano Imperio inſignes mutationes, ac Iudæorũ atrocem interitũ portendebat. Apparuerunt porrò ipſo tẽpore belli Iudaici, ante euerſionẽ Hieroſolymarum *multæ triſtes coniunctiones & Eclipſes*, ac toto anno ſupra templi culmen extitit ὑπερκαῦμα inſtar gladij, quem ξυφίαν Græci appellant. Hæc horrenda oſtenta nuncia fuêre excidij Iudaici, quo uix ullum horribilius exempli atrocitate in omnium hiſtoriarum libris occurrit.

Sub id tempus quo Gordianus Imperator deſignatus eſt, tanta fuit Solis obſcuratio, ut interdiu facibus accenſis utendum fuerit, quæ crudelem cædem tum aliorum Imperatorum, tum ipſius Gordiani proculdubio nunciauit. Poſtea obitũ Conſtantini præceſsit Cometes

ingens aliquot mensibus conspicuus. Inde post mortem optimi principis, misera bellorum ac seditionum incendia eruperunt. Sic & Constantij obitum præcurrens occultatio Solis tanta ut sidera quoque interdiu conspicerentur, prodidit illam perturbationem imperij ac religionum sub Iuliano apostata.

Ante bellum inter Lotharium Imperatorem & fratres, multi luxêre cometæ. Inde accisæ ingenti pugna Francorum uires, diuulsum florentissimum Galliæ regnum à Germania.

Sub Ottone tertio Imperatore dirus cometa fulsit in parte meridionali, secuta fames & pestis crudelissima.

Celebrantur quoque in historijs aliquot Eclipses Lunares funestæ, qualis illa fuit quam ad Arbela conspectam refert Plinius, nobilitatam uictoria Alexandri Macedonis, qua reliquiæ Monarchiæ Persicæ deletæ sunt, ac translata ad Macedones imperij maiestas.

Aliam Liuius commemorat ante infaustam Persei pugnam, quam non falso Macedones ut triste prodigium occasum regni, perniciemque gentis portendens, interpretabantur. Sicut igitur ad Arbela, auctum est uictoria & maiestate Monarchiæ regnum Macedoniæ, Luna terræ umbram incurrente: ita uicissim congruente fato, sublatum est Regium è Macedonia nomen, Luna ijsdem tenebris inuoluta.

Sed ab his uetustioribus exemplis ad recentiora descendamus, quæ tanto plus fidei habent, quanto sunt notiora.

Annus à nato saluatore 1415 ad 8. Idus Iunij, hora 18.

similem

ſimilem illi, quæ bellum Peloponneſiacum anteceſsit, Solis obſcurationem, ac non ualde diſsimiles euentus habuit. Secuta eſt enim Synodus Conſtantienſis, ſeminarium belli Bohemici, in quo & contra Imperatorē Sigiſmūdū Bohemi proſpere pugnarunt, & contra magnas Germanorum copias, ac tandem non tàm propulſantibus quàm inferentibus ſimiles, *Sicut antea* Germanici exercitus in *Bohemia*: *ita* poſtea *Bohemi* longo *tempore* in *Germania* bellum geſſère, ferro ac igni uaſtantes multas regiones. Eodē tēpore in Italia ſtatim poſt Solis deliquiū peſtis: in ducatu Mediolanenſi Florentini graſſati ſunt.

Anno 1444. quo fuit magna coniunctio in ſigno Cancri, uictus & occiſus à Turcis in prælio eſt Vladislaus Vngariæ & Poloniæ Rex. Delphinus cum Armeniacis copijs Alſatia grauiter uaſtata, ac cæſis Heluetiorum quatuor milibus, tandem fuga ſuis ſalutem peperit.

Anno 1500 menſe Aprili fulſit Cometes in Italia, à Gallis captus eſt Lodouicus Sphortia dux Mediolani, *Vrbs Methone à Baiazeto Turcarum Imperatore* expugnata, deuicti ingenti nauali prælio à Turcis Chriſtiani. Interea exarſit pluſquàm ciuile bellum inter Baiazetum patrem & filium Selimum.

Anno 1504 Pridie Calendas Martias defecit Luna poſt *medium* noctis, hora $1\frac{1}{2}$, in uigeſima parte *Virginis* uſq; ad tredecim puncta Ecliptica in Cancro, quod ſignum magnæ coniunctionis erat, in qua *Eclipſi* conuenerant Saturnus retrogradus, Mars & Iupiter in ſeptimo loco, & in Piſcibus eiuſdem trigoni ſigno, in aſcendentis tetragono Sol & Mercurius cum capite Draconis.

Eodem anno motum est bellū Bauaricum. Insequens annus habuit magnam coniunctionem Mercurij, Saturni, Solis, Lunæ, Iouis, Veneris, ac capitis Draconis in Leone, ac Martem sextili eam synodon intuentem ex Geminis penultima Iulij, à qua coniunctione digressa Luna quindecim ferè *dierum interuallo*, & obiecta pleno orbe Solis *diametro in umbram terreni globi* incidit. Erant adhuc *coniuncti in* Leone Saturnus, *Mercurius*, *Venus*, *Iupiter*. Mercurius Lunæ obscuratæ dominus coniunctus Saturno erat, illam non respiciebat. Mars uero ascendentis signi gubernator ex signo casus sui Horoscopon tetragono, Lunam uero ipsam ex trigono intuebatur. Hoc anno dux Geldriæ à Maximiliano Imperatore subactus est. Proximo deinde anno mense Augusto post Eclipsim Solis in Leone cum Luna, Saturno, Venere & cauda Draconis coniuncti, inflammatus est cometes, cuius halitum prioris anni Eclipsis & magna coniunctio contraxisse putatur. *Cæterum is annus insignis fuit morte Philippi regis Hispaniæ, & initijs* belli Veneti, quod postea diuturnum ac ambiguum fuit.

Anno 1519. Mors Cæsaris Maximiliani fidem fecit præcedenti Eclipsi Solis anno 1518, in qua de Solari diametro undecim puncta interuentu Lunæ tegebantur, *in* eo Geminorum gradu, qui nascente illo summum cœli *fastigium* occupauerat.

Annus 1524. illustris fuit magna illa omnium erraticorum synodo in Piscibus, cuius uires auxêre præcedentium annorum Lunares defectus in eodem signo, & postea duorum sequentium plerique in Cancro eiusdem tri-

goni

goni ſigno. Fuit ergo inſignis annus 25. ſeditione & ſtrage ruſticorum, & captiuitate Franciſci Regis Galliarum. Ante huius captiuitatem uiderat Rex Poloniæ ſex ſoles, inter hos eum qui ad occidentem ſtabat planè atrum, quod ſignum fuit oppreſsionis Franciſci. Qui proximè hunc ſecutus eſt annus Lodouici Regis Vngariæ interitu nobilitatus eſt.

Annus 1530. duas habuit Eclipſes in Ariete, alteram Solis 8. punctorum, alteram Lunæ 16. Lunæ Eclipſis & magnitudine excellebat, & conuentu erraticarum in trigono aërio. In ſigno enim Libræ conuenêre ex aduerſo deficientis Lunæ, Mars, Iupiter, caput Draconis, Mercurius, & Sol, quibus ex Geminorum itidem aërio ſigno Saturnus trino aſpectu miſcebatur. Sequenti itaq; triennio ſinguli anni ſingulorum Cometarum flammas conſpexêre, Acceſſerunt & defectus luminarium. Anno 32. in Solis, Lunæ, Mercurij, Martis, ad caput Draconis in Virgine congreſſu tria puncta cum ſemiſſe, ferè de diametro Solis occultata fuêre.

Anno 33. Luna in Aquario obſcurata, concurrerunt in oppoſito ſigno Leonis, Mercurius & Sol cum Baſiliſco, & Venus cum cauda Draconis, Ioue in eodem trigono cum hac Synodo, Marte in eiuſdem ac Lunæ tetragono conſtitutis. Hæ fortes configurationes commouerunt res claras quidem ſed triſtes, inteſtinum Heluetiorum tumultum, Regis Chriſtierni in Dania captiuitatem, obitu etiam filij lugubrem.

Maximè aut præclarus fuit annus 32 ſummis Imperatoribus Orientis & Occidentis, ſumma ui bellum pa-

rantibus

rantibus magis quàm gerentibus. Nam Turcæ parte copiarum in finibus Germaniæ amissa, ac nulla re pro tanta expeditione satis memorabili gesta, retro cessère.

Anno 1534. duas luminarium Eclipses mense Ianuario conspeximus. Alteram in qua Sol usque ad semissem suæ diametri occultabatur, *Luna, Sole,* & Mercurio in Aquario *coniunctis*, ac Saturno ex Cancro aduerso obtuitu Iouem in Capricorno positum *respiciente*. Alterum Lunæ fuit deliquium, obscuratæ penè ad 14. puncta, propè regium Leonis sidus.

Hæ defectiones luminarium hos euentus sortiebantur. Exorta est Anababtistarum apud Vestphalos seditio, occupataque ab ijs urbs Monasteriensium, ac *fœdissimis flagitijs* prophanata omnia. *Eius tamen furoris* exacto anno pœnas dedêre. Imperator Thunetum occupauit, Dania asperrimo bello impedita, Anglia atrociter tumultuante. In Italia Gallus primum ab Imperatore *Mediolanum repetens, postea ducem Sabaudiensem* ducatu exuit.

Eodem tempore Turci Dyrrâchium admouêre copias, ut ex eo loco Italiam inuaderent: Sed consensu ac expeditione totius Italiæ cum Cæsare aduersus publicum hostem territi, retro abierunt.

Anno 1538. Cometa *in* Piscibus arsit, obijt dux Saxoniæ Georgius, filijs ante amissis. Proximus *inde* annus alium habuit Cometam in Tauro, in quo signo etiam Solis Eclipsis ad 7. Idus Aprilis extitit, extincta est Cæsaris uxor.

Anno 1540 Magna Solis obscuratio in Ariete apparuit

paruit cum Iouis tetragono & opposito Saturni ac Mercurij, inde fuit ingens æstatis ardor, grassati incendiarij, Gandaui oppressa seditio,

In Eclipsi Lunari sequentis anni Soli in Ariete Mars, Lunæ in Libra deficienti Saturnus præsto fuit. Postea in Augusto tria puncta diametri Solaris tecta fuêre coëuntibus in Virgine, Sole, Luna, Ioue Venere, Mercurio & cauda Draconis. Sub hyemem anni, Cæsar fœda tempestate ad Argieram Africæ iactatus, in magno discrimine uersatus est.

Anno 1542. Post infortunarum in Scorpione concursum uisus est Lunæ in eodem signo umbram terræ subeuntis defectus. Inde suscepta maiore animo & conatu quàm effectu in Turcas expeditio, quam sæua lues in exercitu nostro coorta disturbauit. Quæ proximis illis annis acciderunt post coniunctionem triū superiorum in Scorpione, ac tot horrēdas luminarium passiones pleraq; notiora sunt quàm lætiora. Sicut constat aliâs quoq; exemplis omnibus perpetuò illustres fuisse Eclipsium ac magnarum coniunctionum effectus.

Nec dubium, est quin ea quoq; Eclipsis Solis quæ iam uires suas nonnihil exercet, non solum propter Scorpij signum in quo precessit anno 44. magna coniunctio. Sed etiam propter conuentum quinque erraticarum tempore Eclipseos Mercurij, Martis, Veneris, Solis, Lunæ cum capite Draconis in Scorpione, & Ioue in

D eodem

eodem trigono in Piscibus, ad cuius signum magnæ coniunctionis hoc anno pertingit profectio, magni quiddam portendat, Præsertim cum in Autumno & magna parte hyemis coucurrentes effectus maximi deliquij Lunaris, quod hoc anno in eodem signo contigit, non parum adiumenti adferant illius decretis. Hæc ex omnium exemplorum consensu uere colligi possunt, in quibus haud scio an ulla Eclipsis sine tristi effectu abierit.

Quare si qua experientiæ fides, si qua est naturaliter consentientium iudiciorum inter sanos ac sapientes homines autoritas, si qua deniq; signorum prodigiorumq; in cœlo sapientissime à summo opifice ordinatorum reuerentia: irrefragabile est artem hanc & graues & probabiles habere causas.

Sed si quis adeo ferreo & monstroso est animo, ut nullo modo ad fidem arti tribuendam adigi se patiatur, neq; euentuum exemplis, neq; peritorum congruentibus sententijs, quæ sunt quasi perpetua quædam ipsius naturæ uox, neq; ordinatione diuina, qua experimur cum in tota natura omnia ad certum finem condita, tum uel maxime illa pulcherrima ac perpetua corpora manifestos habere influxus à conditore summo constitutos, ad ciendas temporum ac Regnorum mutationes, & ad uarietatem illam in temperamentis, inclinationibus, studijs, moribus, ac tota deniq; uita hominum efficiendam: Eiusmodi nos hominē ut contemptorem natu

ræ, ac derisorem diuinæ sapientissimi Creatoris prouidentiæ, longissimè à cœtu philosophico arcebimus.

Hæc Philosophis illis ac Medicis magna uero (si dijs placet) de causa artem hanc uituperantibus respondere uisum est.

Restant Theologi, qui religione quadam hominum animos ab usu huius doctrinæ deterrêre conantur. Qui quidem si uerè causam hanc animo perpenderent, potius ad summi illius Prophetæ ac Legislatoris uocem prudentissimam aures animosq; arrigere debebant, cum inquit, Et erunt lumina (de cœlestibus loquitur) in signa tempora dies & annos. Quæ uerba non obscure indicant, luminibus cœli non solum commissam diuinitus temporum, annorũ, ac dierum distinctionem: Sed eadem quoq; conspectui mortalium in mundo ideo exposita, ut sint signa. Quod *si uoluit Deus (ut Prophetæ uerba aperte testantur)* ea signa mundo proposita ad uarios euentus humano generi significandos (non enim signa esse possunt, quæ nobis nihil monstrent aut portendant) Quo iure quæso isti eorum inspectionem, inuestigationem, obseruationemq; nobis prohibent? An non conueniebat eos Prophetam hunc maximum prius audire, quàm ita temerè damnare eius sententiam? & contra Ieremię dictum male detortum uertere in contumeliam artis tam sanctæ & (ut Mosæ uerba ostendunt) simul cum orbe condito diuinitus fundatæ.

Ac Ieremiæ quidem uerbum, si *rectè intelligatur*, uerum nobis disciplinæ huius usum magis commendat. A signis cœli (inquit) nolite metuere. Quid, an non consentiunt inter se Prophetarum oracula? an non uterque uno quasi ore signorum appellationem stellis tribuit? Verum *hic iubet (inquis)* ne ea metuamus: Iubemus *& nos quoque.* Cæterum *hoc non extat in uerbis* Prophetæ, quod *tu temere affingis. Cum enim signa esse fateatur*, non uetat, sed uult ea aspici, ac considerari *quid* nobis portendant, *timore* tantum seu terrore animis excusso, ne uel pro Dijs, astra, gentium more, timeamus ac colamus, uel minis eorum perculsi desperemus, quorum utrumque impium est.

Est igitur sententia huius prophetæ insignis doctrina ac consolatio pijs mentibus, quæ monet, etsi magnæ calamitates à signis cœlstibus nobis denuncientur: tamen *confirmati uera agnitione & inuocatione Dei, expectemus auxilium & liberationem, aut saltem gubernationem* ac mitigationem euentuum illi permittamus. Hæc sententia non pugnat cum Astrologia: Sed monet ut siderum indicijs de imminentibus malis ac periculis commonefacti, non succumbamus animis eorum magnitudini: uerum ad opificem ipsum plena fiducia accedamus, poscentes opem aut mitigationem. Aduersariorum opinio dum eleuat signorum fidem, confirmat in animis securitatem ac contemptum & significationum, & ipsius Dei proponentis eas, quam impietatem postea grauiores pœnæ persequuntur, ac plerique luũt atrociter, quæ securi

contemnunt

contemnunt. At obijciunt homines morosi, dum causas inclinationum actionum & euentuum humanorum ad astra refers, eripis primum Deo potestatem mouendi animos suo spiritu & gubernationem euentuum, Postea humanæ uoluntati libertatem in rebus eligendis aut fugiendis, denique diaboli fraudes & insidias omnes in pulcherrimas ac optimas Dei creaturas transfers.

Respondeo simpliciter, Astrologi cum disputant de inclinationibus ad certas actiones ac studia, de ijs tantum iudicant, quæ temperamenti naturam comitari solent, quales sunt δυνάμεις aut στόργαι naturales, aut fœlices impetus in rebus suscipiendis & agendis: Non loquuntur de illis motibus aut actionibus, quæ proprie fiunt Deo impellente corda, aut quæ peculiariter ab humana uoluntate ac deliberatione suscipiuntur, nec denique de sceleribus illis, quibus miseræ hominum mentes à diabolo interdum implicantur.

Gubernationem autem euentuum tantum abest ut Deo eripiamus, ut contra affirmemus eius gubernationem & ordinationē causam esse talium euentuum, quam & inuocantes illum certa fiducia ipsi deferimus, ut supra monui. Estque hæc ars utilis ea in re ad pietatem, cum mala præuisa excitent pios ad inuocandum Deum, ut ea mitiget: bona uero significata ut bene fortunet. Hic uerus est eius usus in bonis mentibus, ac Deum uere timentibus. Non potest igitur esse superstitiosa, si quis rectè ea utatur. Et uerum est dictum Pauli etiam de hac arte,

Omnem creaturam Dei bonam esse legitime utenti. Caueant autem sibi impij & contemptores ostentorum cœlestium. Non enim impietate & securitate effugient astrorum minas, sed potius in atrociora mala præcipitabuntur. Atq; hinc plerūq; fit, ut uerissimi sint astrorum tristes effectus, uel quia naturæ cursus à Deo ordinatus non nisi rarissime mutatur ad piorum preces (quale est illud cum Sol integro die à Deo sisteretur) uel quia irritato etiam numine contemptu impiorum exasperantur mala stellarum significata. Fatemur autem hoc in loco neq; omnes actiones ac euentus ad causas cœlestes pertinere, neq; in his decretis, quæ stellis subiacent, omnium causas perfectè ac prorsus exploratas haberi, Et quod Aratus de tempestatum signis scripsit, id nos de tota arte uerissimum esse sentimus, πάντα γὰρ οὔπω.

ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκομεν, ἀλλ' ἔτι πολλά.
κέκρυπται, τῶν αἴκε θέλῃ, καὶ ἐν αὐτίκα δώσει.
Ζεὺς, ὁ γὰρ οὖν γενεὴν ἀνδρῶν ἀναφανδὸν ὀφέλλει
πάντοθεν εἰδόμενος, πάντῃ δ' ὅγε σήματα φαίνων.

Quod dum concedimus non de tota tamen artis ueritate sycophantis concessum uolumus. Ea enim est nostræ cognitionis imbecillitas, ut nullam artem, quam humana industria excogitauit & tradidit absolutam possideamus. Interim plusquàm Scepticæ impudentiæ ac dementiæ est, nihil certitudinis Philosophiæ relinquere.

Multa sunt (quamq; non omnia) uera, certa ac bona à summis ingenijs in natura animaduersa, & literis ueterum, sapientum, ad posteritatem propagata. Ea nos tanq; oracula quædam religiose colamus, conseruemus, augeamus. Plusq; Adamantini est pectoris, non negligere

gligere ſolum, ſed contumelijs etiam ingratiſsimis perſe-
qui patefactam ueritatem, diuinitus excitatis ad eam inue
ſtigandam uiris Heroicis ac ſapientibus.

Hæc non tibi compater cariſsime ſcribo, quem ſcio-
tum in reliquis omnibus, tum uero in hac parte Philoſo-
phiæ eſſe exercitatiſsimum, ac præclare ſapere: Sed illis,
qui abſurda & ſophiſtica doctrinæ inſectatione uel inge-
nij laudem, uel ſuæ inſcitiæ quærunt patrocinium. Mo-
uit autem me & iudicij tui grauitas, & peritia huius artis
(quam à matre accepiſſe diceris, & monumēta tua de hac
ſcripta doctiſsime teſtantur) in te ſingularis, ut autorem
hunc & coniunctioni noſtræ, & memoriæ eius familiæ
dicarem, in qua ſemper diſciplinam hanc cultam eſſe com
periebam. Vixit hic autor ante annos quadringentos,
ac pleroſq; Arabicos Aſtrolologos in latinum ſermo-
nem uertit, quorum non contemnenda farrago apud me
adhuc deliteſcit. Oro autem ut ignoſcas meæ audaciæ,
qui te uirum præſtantiſsimum tantillo munere demereri
ſum conatus. Non enim aut pro nominis tui excellentia,
aut pro mea uoluntate declaranda, qua te longê maiori-
bus dignum iudico: Sed ex tenui penu magno Mecœ-
nati pro noſtris facultatibus exiguum mittitur munuſcu-
lum. Quod ut pro tuo in me amore ac ſtudio benigne ac-
cipias, peto, ac me quod facis mutuo diligas. Bene
uale cum uxore ac liberis ſuauiſsimis tuis, uir doctiſsime,
noſtri ſeculi lumen.



IOANNIS HISPALENSIS ISAGOGE IN *Aſtrologiam*.



ZOdiacus diuiditur in duodecim ſigna principaliter. Signum in gradus triginta. Gradus in ſexaginta minuta. Minutum in ſexaginta ſecunda. Secundum in ſexaginta tertia &c. Et primum de natura ſignorum agamus, poſtea Planetarum.

CAPVT PRIMVM.
De naturis duodecim Signorum.
Ac primum de Ariete.



ARies eſt domus Martis, occaſus Veneris, honor Solis, in undeuigeſimo gradu, Saturni dedecus in uiceſimo primo gradu. In quo eſt notandũ quòd ſignum oppoſitum domui Planetæ, ſemper eſt eius occaſus.

Dominus triplicitatis in natiuitate diei eſt Sol, & Iupiter nocte. Communis die ac nocte Saturnus. Et ſic in ſignis eiuſdem naturæ.

Termini, Iouis ſex, Veneris ſex, Mercurij octo, Martis quinq;, Saturni quinq;.

Facies, prima Martis, ſecunda Solis, Tertia Veneris.

Dominus primæ partis Mars, ſecundæ Sol, tertiæ Iupiter.

Honorem uocat, quod alij exaltationẽ, dedecus id quod alij caſum, occaſum uero, quod alij detrimẽtum appellant. Signa eiuſdem naturæ, ſeu qualitatis ſunt, quæ per trigonum diſtant, quæ alias eiuſdem triplicitatis ſigna ab Aſtrologis dicuntur. Partes hoc loco uocantur trientes, ſiue decani ſignorum.

Nouena nona pars ſigni eſt, complectens 3. gradus cum triente unius. Sic dodecatomerion duodecima pars ſigni eſt 2. graduum cum ſemiſſe. Cæterũ prima duodecima ſigni pars domino ſigni aſcribitur. Poſtea ordine ſingulæ ſingulis Planetis, ſecundũ naturalem ſeriem Planetarum diſtribuuntur, donec duodenarius Planetarum numerus abſoluatur.

Dominus nouenæ, primæ Mars, ſecundæ Venus, tertiæ Mercurius, quartæ Luna, quintæ Sol, ſextæ Mercurius, ſeptimæ Venus, octauæ Mars, nonæ Iupiter.

Dominus duodecimæ diuiſionis, primæ Mars, ſecundæ Sol, tertiæ Venus, & ſic per ordinem deſcendendo ad Lunam, & *poſtea incipiendo à Saturno*, donec finias duodecim.

Eſt antem Aries ſignum mobile cum Cancro, Libra, & Capricorno. Sed firma, quæ ſunt poſt hęc, ut Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius. Communia, quæ his ſuccedunt, ut Gemini, Virgo, Sagittarius, Piſces.

Aries eſt maſculinum, Taurus eſt fœmininum, Gemini maſculinum, Cancer fœmininum, & ſic per ordinem. Nam quæ ſub numero impari computantur ſunt maſculina, quę ſub pari fœminina. Et omnia maſculina ſigna ſunt diurna, Fœminina nocturna.

Porrò hoc idem ſignum eſt ſiniſtrum. Nam ab Ariete ad Libram ſunt ſigna ſiniſtra, reliqua dextra. Habet autem ſimilitudinem manſueti animalis, habet uocem mediam, filios paucos, membra diuiſa. *Eſt & ſignum Regale, ac diuini cultus, naturæ ignis. Eſt ſignum metalli*, & tortum in ſuo aſcenſu. Nam à Capricorno ad Cancrum ſunt ſigna torta, reliqua recta. Sunt autem torta, quæ aſcendunt minus triginta gradibus. Recta ſunt, quę ultra triginta gradus habent in aſcenſu, qui aſcenſus in omni terra diuerſificantur. Sed Arietis aſcenſus in circulo directo eſt graduum ſex & uiginti, minutorum quadraginta. Tauri graduum undetriginta, minutorum quinquaginta quatuor. Geminorum gradus triginta duo, minuta uiginti ſex. Cancri eſt idem quod Gemini, Leonis quod Tauri, Virginis quod Arietis. Sed per aſcenſus eorum ſcies aſcenſus oppoſitorum. Nam tantus eſt Libræ, quantus Arietis, & ſic per cætera. Significat in capite.

Signa torta uocat oblique aſcendentia.

Id eſt, in Recto Spheræ ſitu.

Significat in capite, id eſt, dominatur ei membro.

Dolor Saturni eſt in pectore, Iouis in corde, Martis in

capite

capite, Solis in coxis, Veneris in pedibus, Mercurij in tibijs, Lunæ in poplite.

Est ibi stella primi honoris in anno Christi 1142. in decimosexto gradu, & quinto minuto Arietis. Latitudo eius dextra, trium & quinquaginta graduum cum semisse unius, quæ dicitur littus fluminis, & est naturæ Iouis & Veneris.

Lucida in extremo fluminis primi est luminis de natura Iouis. Obseruabis autē latitudinem dextram, more Astrologico dici Austrinam, Sinistram Septentrionalem. Aspiciunt enim Astrologi Horoscopum tergum obuertentes occidenti, sinistra in septentrionem, dextra uero in Meridiem uersa.

CAPVT SECVNDVM, DE Tauro.

TAurus est domus Veneris, honor Lunę, in tertio gradu. Dominus triplicitatis in die est Venus, in nocte Luna, communis Mars.

Termini Veneris 8. Mercurij 6. Iouis 7. Saturni sex, Martis 3.

Facies prima Mercurij, secunda Lunæ, Tertia Saturni.

Dominus primæ partis Venus, secundæ Mercurius, tertiæ Saturnus.

Dominus primæ nouenæ, & secundæ Saturnus, tertiæ Iupiter, *quartæ Mars, quintæ Venus, sextę Mercurius, septimæ* Luna, *octauæ Sol*, nonæ *Mercurius*.

Dominus primæ duodecimæ Venus, reliqui per ordinem, ut supra.

Habet similitudinem mansuetæ feræ, mediam habet uocem, filios paucos, membra diuisa, & est signum seruorum, naturæ terræ, signum est altarum arborum, & significat in collo.

Dolor Saturni in stomacho, Iouis in intestinis, Martis in collo, Solis in poplite, Veneris in capite, Mercurij in pedibus, Lunæ in tibijs.

Est ibi stella honoris primi dicta caput Diaboli, in decimo quinto gradu, & tricesimo quinto minuto Tauri. Latitudo eius sinistra in uicesimo tertio gradu, & alia stella dicta

Caput Algol 2. est magnitudinis, naturæ Saturni & Iouis.

Aldebaram siue oculum Tauri, stellã de natura Saturni & Mercurij, ueteres uocant. Cardanus Martialem eam facit, cui lumine ipso respondere uidetur.

oculus Tauri sinister, in uicesimo octauo gradu, *trigesimo* quinto minuto. Latitudo eius dextra quinq; graduum, & decem minutorum.

CAPVT III. DE GEMINIS.

G*emini domus Mercurij, honor capitis* Draconis.

Dominus triplicitatis in die Saturnus, in nocte Mercu*rius*, communis *Iupiter*.

Facies prima Iouis, secunda Martis, *Tertia Solis*.

Termini Mercurij sex, Iouis sex, Veneris quinq;, Martis septem, Saturni sex.

Dominus primæ partis Mercurius, secundæ Venus, tertiæ Saturnus.

Dominus nouenæ primæ Venus, secundæ *Mars*, tertiæ *Iupiter*, quartæ & quintæ *Saturnus*, sextæ Iupiter, septimæ Mars, octauæ Venus, nonæ Mercurius.

Dominus duodecimæ primæ Mercurius, cæterarum reliqui, ut supra.

Signum ipsum humanę est similitudinis, Vocem habet completam, membra directa, & est signum Prophetarum, & magnatum, aëriæ naturæ, est signum cœli, significat in cubitis & brachijs.

Dolor Saturni in uentre, Iouis in lumbis, Martis in brachijs, Solis in tibijs, Veneris in collo, Mercurij in capite, Lunæ in pedibus.

Bellator siue Hircus est stella in Auriga, quam & Alhaioth, & agitatorem alij uocant primæ magnitudinis de natura Martis & Mercurij. Humerus canis magni est stella in dextro Orionis humero, quam Arabes Bedelgeuzen dixere, naturæ Martis & Mercurij.

Est ibi stella dicta Bellator, *in decimo gradu*, & *quinquagesimo* quinto minuto. Latitudo eius sinistra *uiginti* duo gradus, & triginta minuta. Est & alia quæ dicitur humerus canis magni *in* decimo septimo gradu, & quinquagesimo quinto minuto Geminorum. Latitudo eius dextra gradus septendecim, & sunt ambæ primi honoris.

Caput

CAPVT IIII. DE CANCRO.

CAncer est signum mundi, domus Lunæ, honor Iouis in decimoquinto gradu, dedecus Martis in antepenultimo gradu.

Dominus *triplicitatis* in die Venus, Mars nocte, Communis die & nocte Luna.

Termini Martis 7. Veneris 5. Mercurij 7. Iouis septem, Saturni 4.

Facies prima Veneris, secunda Mercurij, tertia Lunæ.

Dominus primæ partis Luna, secundæ Mars, tertiæ Iupiter.

Dominus primæ nouenæ Luna, secundæ Sol, tertiæ Mercurius, quartæ Venus, quintæ Mars, sextæ Iupiter, septimæ & octauæ Saturnus, nonæ Iupiter.

Dominus duodecimæ primæ Luna &c.

Habet formam Piscis, uoce caret, habet filios multos, membra directa, est signum hominum mediocrium, aquosæ *naturæ*, signum maris.

Dominatur in pectore & stomacho.

Dolor Saturni in lumbis, Iouis in pede, Martis in pectore, Solis in pedibus, Veneris in manibus, Mercurij in collo, Lunæ in capite.

Est ibi stella dicta Camelus occidens in tertio gradu & quinto minuto Cancri. Eius latitudo à dextra parte est graduum 69. Est & alia quæ dicitur Pes canis, in tertio gradu & quinto ac tricesimo minuto. Est latitudo eius à dextro graduum undequadraginta minutorum decem. Est item oculus Leonis in decimoquinto gradu, uigesimo quinto minuto. Latitudo eius à dextro gradus sedecim, minuta decem. Et hæc tria sydera sunt primi honoris.

In alio exemplari erat (Martis) quod puto esse uitiosum. Est enim casus seu, ut hic autor uocat, dedecus stellæ Martis.

Canopum dicit. Est autem ea naturæ Saturni & Iouis magnitudinis primæ.

Pes canis, alias Alhabor seu Canicula appellatur de natura Saturni & Iouis.

Oculus leonis, alias Algomeyza/ & Procyon, seu canis minor uocatur Mercuriale sydus, & parum Martis.

CAPVT V. DE LEONE.

Leo est domus Solis.

Dominus triplicitatis in die Sol, Iupiter in nocte, Communis Saturnus.

Termini Iouis sex, Veneris quinque, Saturni septem, Mercurij sex, Martis sex.

Facies prima *Saturni*, secunda Iouis, tertia Martis.

Dominus primæ partis *Sol*, secundæ Iupiter, tertiæ Mars.

Dominus primæ nouenæ Mars, secundæ Venus, tertię Mercurius, quartæ Luna, quintę Sol, sextę Mercurius, septimę Venus, octauę Mars, nonæ Iupiter.

Dominus primæ duodecimę Sol &c.

Habet formã syluestris animalis, est uocis medię, membra diuisa habet, filios paucos, est uictoriosum signum & regale, naturę ignis, est signum metalli, significat in corde & ore stomachi.

Dolor Saturni in pede, Iouis in naribus, Martis in corde, Solis in capite, Veneris in pectore, Mercurij in brachio, Lunæ in collo.

Est ibi Cor leonis in gradu decimo octauo, minuto uigesimo quinto. Latitudo eius à sinistro est decem minutorũ.

βασιλίσκος siue regulus stella primi luminis, de natura Martis et Iouis.

CAPVT VI. DE SIGNO VIRGINIS.

Virgo domus Mercurij, & eius honor in decimoquinto gradu, dedecus Veneris in uicesimo septimo.

Dominus triplicitatis in die Venus, Luna in nocte, Communis die ac nocte Mars.

Termini Mercurij septem, Veneris decem, Iouis quatuor, Martis septem, Saturni duo.

Facies prima Solis, secunda Veneris, tertia Mercurij.

Dominus primę partis Mercurius, secundę Saturnus, tertiæ Venus.

Dominus

Dominus primæ nouenæ Venus, secundæ Saturnus, tertię Iupiter, quartę Mars, quintę Venus, sextę Mercurius, septimæ Luna, octauę Sol, nonę Mercurius.

Dominus duodecimę primę Mercurius, secundę Luna &c. Habet formam hominis & auis, est uocis completæ, filijs caret, membra habet directa, Est signum opificum, iaculatorum & seruorum, naturæ terræ, significat in intestinis.

Dolor Saturni in naribus, Iouis in poplite, Martis in uentre, Solis in collo, Veneris in stomacho, Mercurij in pectore, Lunæ in brachijs.

Est ibi stella primi honoris dicta cauda Leonis in 10. gradu, & 25. minuto Virginis, & in sinistro latitudo eius 11. grad. & 50. minutorum.

Cauda leonis sidus est, de natura Saturni, Veneris, Mercurij.

CAPVT VII. DE LIBRA.

Libra est domus Veneris, honor Saturni, Solis dedecus in gradu undeuigesimo. Ab his usq; ad tres gradus Scorpionis est uia combusta.

Dominus triplicitatis in die est Saturnus, & Mercurius in nocte, *Communis die ac nocte Iupiter.*

Termini Saturni septem, Mercurij septem, Iouis septē, Veneris octo, Martis unus.

Dominus primæ partis Venus, secundæ Saturnus, tertiæ Mercurius.

Facies prima Lunæ, secunda Saturni, tertia Iouis.

Dominus nouenæ primæ Venus, secundę Mars, tertię Iupiter, quartę & quintę Saturnus, sextæ Iupiter, septimæ Mars, Octauæ Venus, nonę Mercurius.

Dominus duodecimæ primæ Venus &c.

Habet formam hominis & auis, habet uocem plenam, membra directa, filijs caret, est signum prophetarum & magnatum, & diuini obsequij, domus naturæ aëriæ, significat in

lumbis

Aliud exemplar habet (in tibijs) quod verisimilius est.

Lumbis & femore.

Dolor Saturni in oculis, Iouis in brachijs, Martis in lumbis, Solis in brachijs, Veneris in uentre, Mercurij in stomacho, Lunæ in pectore.

Inermis alias est Spica virginis seu Azimech naturæ Mercurij et Veneris. Lancea Alramech siue Arcturus est de natura Iouis & Martis.

Est ibi stella, quæ dicitur Inermis, in 12. gradu, & 35. minuto & latitudo *eius in sinistro* duorum graduum, Et alia dicta Lancea *in duodecimo* gradu & 55. *minuto*, & eius latitudo *in sinistro* 31. gradus. 30. minuta, & *sunt primi* honoris.

CAPVT VIII. DE SCORPIONE

SCorpio domus Martis, dedecus Lunæ in tertio gradu.

Dominus triplicitatis in die Venus, Mars in nocte, Cōmunis die ac nocte Luna.

Termini Martis septem, Veneris quatuor, Mercurij sex, Iouis septem, Saturni sex.

Facies prima Martis, Secunda Solis, Tertia Veneris.

Dominus *primæ partis* Mars, Secundæ Iupiter, Tertiæ Luna.

Dominus primæ nouenæ Luna, Secundæ Sol, Tertiæ *Mercurius, Quartæ Venus, Quintæ Mars, Sextæ Iupiter, Septimæ & octauæ Saturnus, Nonæ Iupiter.*

Dominus *duodecimæ primæ* Mars &c.

Habet formam animalis agrestis, Caret uoce, habet membra diuisa, est signum hominum mediocrium, falsitatis, furti, & putei, filios paucos habet, naturæ aquę. Significat in pene.

pene. aut abenEzra et melius T: et in capite

Dolor Saturni, in tibijs, Iouis in pede Martis in capite, Solis *in* pectore, Veneris in lumbis, Mercurij in uentre, *Lunæ in* stomacho.

Antares, seu cor Scorpij est de natura Iouis & Martis.

Est *ibi* cor Scorpij in 28. gradu 35. Minuto, lat*itu*do eius à dextro quatuor graduum, & est primi honoris.

CAPVT IX. DE SAGITTARIO.

Sagittarius

SAgittarius domus Iouis, dedecus capitis Draconis. Dominus triplicitatis in die Sol, Iupiter nocte, & communis die ac nocte Saturnus.

Termini Iouis duodecim, Veneris quatuor, Mercurij Quinque, Martis Quatuor, Saturni Quinque, & facies prima Mercurij, Secunda Lunæ, *Tertia Saturni.*

Dominus *primæ partis Iupiter, Secundæ Mars, Tertiæ* Sol.

Dominus nouenæ primę Mars, Secundæ Venus, Tertiæ Mercurius, quartæ Luna, quintæ Sol, Sextæ Mercurius, septimæ Venus, octauæ Mars, Nonæ Iupiter.

Dominus duodecimæ primę est Iupiter. Per medietatem habet formam hominis, & per medietatem equi, Est uocis mediæ, filios habet paucos, membra diuisa. Est signũ prophetarum contemplatiuorum & magnatum Naturæ ignis. Significat in ano & coxis.

Dolor Saturni in pedibus, Iouis in capite, Martis in coxis, Solis in stomacho, Venus in pene, Mercurij in lumbis, Lunę in uentre.

Et est ibi caput Victi in gradu & 45. minuto, latitudo eius à sinistro 36. gradu, & est honoris secundi.

Caput victi stellæ est super caput Ophiuchi siue Serpentarij, secundum alios tertiæ magnitudinis de natura Saturni & Veneris.

CAPVT X. DE CAPRICORNO.

CApricornus est domus Saturni, honor Martis in uicesimooctauo gradu, dedecus Iouis in decimo quinto gradu.

Dominus triplicitatis in die est Venus, & Luna in nocte, & communis die ac nocte Mars.

Termini Mercurij septem, Veneris quinque, Iouis sex, Martis sex, Saturni sex.

Facies prima Iouis, Secunda Martis, Tertia Solis.

Dominus primę partis Saturnus, Secundæ Venus, Tertiæ Mercurius.

C Domi-

Dominus nouenę primę & ſecundę Saturnus, Tertię Iupiter, Quartę Mars, Quintę Venus, Sextę Mercurius, Septimę Luna, Octauę Sol, Nonę Mercurius.

Dominus duodecimę primę Saturnus. Habet formam manſueti animalis, eſt uocis medię, filios paucos habet, membra diuiſa, eſt ſignum hortorum, uinearum, terræ, ſubuerſorum & uilium hominum, habet uim in poplite.

Dolor Saturni in capite, Iouis in collo, Martis in oculo, Solis in uentre, Veneris in coxis, Mercurij in pene, Lunę in lumbis.

Eſt ibi Aquila Cadens in tertio gradu & 45. minuto. Latitudo eius in ſiniſtro 62. graduum, & eſt honoris primi, quam Amigdalam Ptolomeus dicit. Alia eſt dicta aquila, uolans in decimo nono gradu, quadrageſimo quinto minuto, & latitudo eius à ſiniſtro, unde triginta graduum, & decem minutorum, & eſt honoris ſecundi.

Hæc alias & vultur & lyra ac fidicula dicitur, eſt de natura Veneris & Mercurij. Alias vultur volans eſt ſtella de natura Iouis & Martis.

CAPVT XI. DE AQVARIO.

AQuarius eſt domus Saturni.

Domini triplicitatis Saturnus in die, Mercurius in nocte, & communis in die ac nocte Iupiter.

Termini Mercurij ſex, Iouis ſeptem, Veneris ſeptem, Martis quinque, Saturni quinque.

Facies prima Veneris, ſecunda Mercurij, Tertia Lunę,

Dominus primę partis Saturnus, Secundę Mercurius, Tertię Venus.

Dominus nouenę primę Venus, Secundę Mars, Tertię Iupiter, Quartę & quintę Saturnus, Sextę Iupiter, Septimę Mars, Octauę Venus, Nonę Mercurius.

Dominus duodecimę primę Saturnus, Formam habet hominis, uocis medię eſt, filijs caret, membra habet directa. Eſt ſignum Prophetarum, magnatum, Angelorum, demoniacorum

niacorum & manię, naturę aëris, habet posse in tibijs.

Dolor Saturni in collo, Iouis in brachijs, Martis in tibijs, Solis in lumbis, Veneris in oculis, Mercurij in coxis, Lunæ in pene.

Est ibi Cauda gallinæ in uicesimoquinto gradu, & quinto minuto, latitudo *eius à sinistro sexaginta graduum*, & est primi honoris.

Cauda Gallinæ, quæ & auis & cygnus dicitur, secundum alios est secundi luminis, de natura Veneris & Mercurij.

CAPVT XII. DE PISCIBVS.

Piscis est domus Iouis, honor Veneris in uicesimo primo gradu, dedecus Mercurij in decimo quarto.

Dominus triplicitatis, Venus in die, Mars in nocte, cōmunis die ac nocte Luna.

Termini Veneris duodecim, Iouis quatuor, Mercurij tres, Martis octo, Saturni tres.

Facies prima Saturni, Secunda Iouis, Tertia Martis.

Dominus primæ partis Iupiter, Secundæ Luna, Tertiæ Mars.

Dominus primæ nouenæ Luna, Secundæ Sol, Tertiæ Mercurius, quartæ *Venus, quintæ Mars, sextæ Iupiter, septimæ* & *octauæ Saturnus*, nonæ *Iupiter*.

Dominus duodecimæ primæ est Iupiter. Habet formā piscis & auis, uoce caret, habet filios multos, & membra directa, est signum negotiatorum, nautarum, Medicorum, naturæ aquæ, significat super pedes.

Dolor Saturni in brachijs, Iouis in pectore, Martis in pedibus, Solis in pene Veneris in tibijs, Mercurij in oculis, Lunæ in coxis.

Est ibi Humerus equi in decimo octauo gradu, & quinto minuto, Latitudo eius à sinistro unius & triginta graduū, est primi honoris.

Alij uocant Scheat alpheraz, hoc est crus pegasi, siue equi maioris, secundum alios, secundi est luminis, sidus de natura Martis & Iouis.

TABVLA DIGNITATVM ESSENtialium Planetarum in signis.

		Dom. 5.	Exalt. 4.	Tripli. 2. D.N.P.	Term. 3.				
M	♈	♂	☉	☉ ♃ ♄	♃ 6	♀ 12	☿ 20	♂ 25	♄ 30
F	♉	♀	☽	♀ ☽ ♂	♀ 8	☿ 14	♃ 21	♄ 27	♂ 30
M	♊	☿	☊	♄ ☿ ♃	☿ 6	♃ 12	♀ 17	♂ 24	♄ 30
F	♋	☽	♃	♀ ♂ ☽	♂ 7	♀ 12	☿ 19	♃ 26	♄ 30
M	♌	☉		☉ ♃ ♄	♃ 6	♀ 11	♄ 18	☿ 24	♂ 30
F	♍	☿	☿	♀ ☽ ♂	☿ 7	♀ 17	♃ 21	♂ 28	♄ 30
M	♎	♀	♄	♄ ☿ ♃	♄ 7	☿ 14	♃ 21	♀ 29	♂ 30
F	♏	♂		♀ ♂ ☽	♂ 7	♀ 11	☿ 17	♃ 24	♄ 30
M	♐	♃		☉ ♃ ♄	♃ 12	♀ 16	☿ 21	♂ 25	♄ 30
F	♑	♄	♂	♀ ☽ ♂	☿ 7	♀ 12	♃ 18	♂ 24	♄ 30
M	♒	♄		♄ ☿ ♃	☿ 6	♃ 13	♀ 20	♂ 25	♄ 30
F	♓	♃	♀	♀ ♂ ☽	♀ 12	♃ 16	☿ 19	♂ 27	♄ 30

Facies.

FACIES I. DECANI.

♈	♂ 10	☉ 20	♀ 30	♂ 10	☉ 20	♃ 30
♉	☿ 10	☽ 20	♄ 30	♀ 10	☿ 20	♄ 30
♊	♃ 10	♂ 20	☉ 30	☿ 10	♀ 20	♄ 30
♋	♀ 10	☿ 20	☽ 30	☽ 10	♂ 20	♃ 30
♌	♄ 10	♃ 20	♂ 30	☉ 10	♃ 20	♂ 30
♍	☉ 10	♀ 20	☿ 30	☿ 10	♄ 20	♀ 30
♎	☽ 10	♄ 20	♃ 30	♀ 10	♄ 20	☿ 30
♏	♂ 10	☉ 20	♀ 30	♂ 10	♃ 20	☽ 30
♐	☿ 10	☽ 20	♄ 30	♃ 10	♂ 20	☉ 30
♑	♃ 10	♂ 20	☉ 30	♄ 10	♀ 20	☿ 30
♒	♀ 10	☿ 20	☽ 30	♄ 10	☿ 20	♀ 30
♓	♄ 10	♃ 20	♂ 30	♃ 10	☽ 20	♂ 30

NOVENAE SIGNORVM.

	$3\frac{1}{3}$	$6\frac{2}{3}$	10	$13\frac{1}{3}$	$16\frac{2}{3}$	20	$23\frac{1}{3}$	$26\frac{2}{3}$	30
♈	♂	♀	☿	☽	☉	☿	♀	♂	♃
♉	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉	☿
♊	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿
♋	☽	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃
♌	♂	♀	☿	☽	☉	☿	♀	♂	♃
♍	♀	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉	☿
♎	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿
♏	☽	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃
♐	♂	♀	☿	☽	☉	☿	♀	♂	♃
♑	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉	☿
♒	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿
♓	☽	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃

Dode-

DODECATEMORIA
Signorum.

	2½	5	7½	10	12½	15	17½	20	22½	25	27½	30
♈	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
♉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♀	☿
♊	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂
♋	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉
♌	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄
♍	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂
♎	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃
♏	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
♐	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿
♑	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀
♒	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀
♓	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿

Quibus

QVIBVS MEMBRIS SINGVLA SIGNA cœlestia & planetæ in ipsis morbos aut læsiones significent.

	Signa per se signif.	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
♈	Caput	Pectus	Cor	Caput	Coxæ	Pedes	Tibiæ	Poples
♉	Collum	Stoma.	Intesti.	Collum	Poples	Caput	Pedes	Tibiæ
♊	Cubitus & brachia	Venter	Lumbi	Brachia	Tibiæ	Collum	Caput	Pedes
♋	Pectus & Stoma.	Lumbi	Penis	Pectus	Pedes	Manus	Collum	Caput
♌	Cor & os stomachi	Penis	Nares	Cor	Caput	Pectus	Brachia	Collum
♍	Intestina	Nares	Poples	Venter	Collum	Stoma.	Pectus	Brachia
♎	Lumbos et Fœmo.	Oculi	Tibiæ	Lumbi	Brachia	Venter	Stomac.	Pectus
♏	Penis	Tibiæ	Pedes	Caput	Pectus	Lumbi	Venter	Stoma.
♐	Anum & Coxas	Pedes	Caput	Coxæ	Stoma.	Penis	Lumbi	Venter
♑	Poplitem	Caput	Collum	Oculi	Venter	Coxæ	Penis	Lumbi
♒	Tibias	Collum	Brachia	Tibiæ	Lumbi	Oculi	Coxæ	Penis
♓	Pedes	Brachia	Pectus	Pedes	Penis	Tibiæ	Oculi	Coxæ

Caput

CAPVT XIII. DE NATVRIS Septem Planetarum, Ac de Sole primum.

SOl eſt poteſtas diei, temperate calidus & ſiccus, habet uim in anima & uita, & in dextra parte corporis tota, in corde & cerebro oculo dextro in die, & ſiniſtro in nocte. Eſt fortuna in aſpectu Trino & Sextili, Mediocris in quadrato infortuna in oppoſito. Magis infortuna omnibus alijs in coniunctione, eſt maſculus, coloris albi, ſaporis dulcis, eius lux eſt ante & retro, quindecim graduũ, habet uim in patre, eſt ſtella regũ & poteſtatum, Eius ſunt equi, aurũ regni acquirendi ſuſpitio, Eius dies eſt dies dominica cũ prima et octaua hora. Nam cuius planetę dies eſt, eius eſt hora prima, & reliquę per ordinem inferioribus diſtribuũtur, & ſic ſemper octaua eius eſt cuius prima. Eius eſt nox Mercurij cum prima et octaua. Anni eius fridariæ ſunt decem, Anni eius parui undeuiginti, Mediocres trigintanouem, & ſemimagni centum uiginti, Maximi mille quadringenti ſexaginta.

Quam hic vocat lucem planetæ, eam alij medietatem orbis appellãt.

CAPVT XIIII DE LVNA.

LVna eſt poteſtas noctis, temperate frigida & humida, ſed à Coniunctione Solis ad quadratum primum calida humida, à quadrato ad oppoſitum calida & ſicca, ab oppoſito ad quadratum ſecundum frigida & ſicca, à quadrato ſecundo ad Coniunctionem Solis frigida & humida. Eſt fœminina ſtella. Significat pro matre, ſororibus, maioribus, uxore, ſtomacho, pulmone, in ſiniſtra parte cerebri, in ſiniſtra parte tota, in die ſiniſtrum oculum, in nocte dextrum, poteſt ſignificare omne genus hominum, ſecundum naturam planetarum, quibus adiungitur, ſignificat in morbis, in rerum exordijs, quæſtionibus, interrogationibus in aëris mutatione. Eſt eius argentum

Aliud exemplar habet (bonum)

uaccæ, pecudes. Eius lux duodecim graduum. Anni fridariæ ipsius, nouem, Anni parui, uiginti quinq;, Mediocres triginta nouem, Magni centum & octo, Maximi sexcenti sexaginta. Eius est dies Lunæ & nox Iouis.

CAPVT XV. DE SATVRNO.

SAturnus frigidus & siccus, cuius complexio permutatur ex positione Solis, ut de Luna diximus, stando in Auge facit siccum, in opposito humidum. Est stella ærumnosorum, terræ subuersorum, coriarij, nautæ, opificis, significat in patre, auo, & ueteribus cunctis, putridis, fœtentibus tumidis infirmitatibus, in melancolia, flegmate pessimo, in quartanis, lepra, scabie, in mania, carcere, fouea, sollicitudine, submersione, ruina ponderum, morsu ueneneosi animalis. Est infortuna. Eius uirtus in corpore splen, auris dextra, plumbum, asini, porci, serui, uecordes, circumuentores. Eius est dies sabbati, & nox Mercurij, anni fridariæ undecim, anni parui triginta, mediocres quadraginta octo, & semi magni quinquaginta septem. Maximi ducenti quinquaginta sex. Eius lux ante & retro nouem graduum, est masculus & diurnus.

Ex positione Solis h. e. pro distantia ipsius a Sole.

Ponderum pro ponderosorum.

Aliud exemplar habet Rhetores, sed nostra lectio magis cõsentanea est phisicæ rationi.

CAPVT XVI. DE IOVE.

IVpiter est calidus & humidus tẽperate, est masculus & diurnus, fortuna, est stella filiorum, pecunię, honoris, famæ, & omnis cõmodi, contemplatiuorum, iudicũ, fidei expositorum, uitæ, quietis, cuius complexio, ut Saturni mutatur ex positione Solis, eius splendor est nouem graduũ, eius est uirtus crescendi, cor, epar, auris sinistra, gustus, dulcis. Eius est stannum, elephantes, frumentum, hordeum, ueritas, & constantia. Eius dies est dies Iouis, & nox Lunæ. Anni fridariæ duodecim anni, parui duodecim, mediocres quadraginta quinq;, semi magni septuaginta nouẽ. Maximi quadringẽti uiginti quatuor.

Caput

CAPVT XVII. DE MARTE.

MArs est calidus et siccus absq; temperie, permutatur eius natura causa circuli, ut præscripsi. Estq; stella nocturna & fœminina. In die est stella bellicosorum, litis, contumeliæ, uulnerationis, occisionis, combustionis, est stella balneatorum, formariorum, flebathomatorum, tonsorum, furum, latronum, superborum, mendacium, falsas chartas componentium, perfidorum, derisorum, infirmitatum à sanguine, apostematum, casus ab alto, & mortis ab ense, fratrum, socerorum, chirurgicorum, mulorum, & ferri, amari saporis, iracundiæ. Eius est fel, pars epatis, splen, naris dextra, carnifices, uenenosa animalia. Lux octo graduum. Eius est dies Martis, & nox sabbathi. Anni fridarie septē, anni parui quindecim, mediocres quadraginta, semi magni sexaginta sex. Maximi centum & triginta. Habet communitatem cum Venere & Mercurio in omni opere manuum.

Pro diuerso positu Martis in suo circulo.

CAPVT XVIII. DE VENERE.

VEnus est humida & frigida temperate, permutatur causa sui circuli, ut prædicti planetæ, est fortior occidentalis, quàm orientalis, contra naturam aliorum. Est stella noctis fœminina, saporis dulcis, significat in matribus, sororibus, maioribus, ætate, amicitia, lasciuia, ingluuie, stella iocūditatis, Eunuchorū, pulchritudinis. Est formosæ operationis, ægritudinum ex Venereo actu prouenientium, mortis ex ebrietate & toxico. Significat in lumbo dextro, nare sinistro. Eius lux septem graduum, Eius est dies Veneris, nox Martis, Eius sunt uuæ, ficus, cameli &c. Anni fridarię octo, anni parui eius octo, mediocres quadraginta quinq;, & semi magni tres & octuaginta, Maximi quingenti sexaginta quatuor.

CAPVT XIX. DE MERCVRIO.

MErcurij sydus nunc masculinum, nunc fœmininum, nūc diei, nunc noctis, nunc fortuna, nunc infortuna, permutatur ratione Circuli, *ut præscripti*, sapor eius & color diuersificantur, *ut prædicta* secundum naturam eorū, quibus adiungitur. *Significatum* habet in anima rationali, grammatica, & omni scientia, sculptoribus, scriptoribus, operib. *in pueris*, animalibus paruis, herbis paruis, Eius est argentū uiuum, *arietes*, lumbus sinister, lingua, lux eius septem graduum. Eius est dies Mercurij & nox dominica, Anni fridariæ tredecim, parui uiginti, Mediocres quadraginta octo, Magni sexaginta sex. Maximi quadringenti & octuaginta. Est stella ueritatis & falsitatis pro natura eorum, quibus adiungitur.

CAPVT XX. DE CAPITE ET cauda Draconis.

*DRaconis caput fortuna est, sed cum planeta fortuna auget omne bonū, cum infortuna omne malum. Sed cau*da omne malum auget cum *sydere fortunante, Sed cum in*fortuna demit malum, & ideo caput dicitur fortuna, cum planeta fortuna, cum infortuna contrarium est.

Cauda uero cum fortuna infortuna est, sed cum infortuna est fortuna. Sic de capite & cauda omnium planetarum.

CAPVT XXI. DE INVENIENDIS duodecim domibus.

In

DE INVENIENDIS XII. DOMIBVS.

IN omni hora firmamentum in duodecim partes distribuitur, quæ domus dicuntur, & prima incipit à gradu ascendente, & comprehendit totidem gradus sequentis signi, & sic usq; ad duodecim domus per gradus æquales.

Sed est alia diuisio per inæquales gradus pro terræ latitudine, quæ sic *inuenitur*. *Ponitur* gradus ascendentis in oriente, *qui est principium* primæ domus, *sed septima incipit ab opposito*, per gradus *totidem*, & gradus tangens *lineam meridianam*, est *initium* domus *decimæ*, Quartum siue imum cœli domicilium incipit ab opposito eius pergradus totidem, & hæ quatuor domus dicuntur *Anguli*. Et gradus inuẽtus in fine lineę horæ decimæ, est principiũ secundæ domus. In fine octauæ inuenitur tertia. In fine quartæ quinta, in fine secundæ sexta, octaua uero domus per secundam inuenitur, nona per tertiam, & per quintam undecima, per sextã duodecima per oppositum. Et secunda quinta, octaua, undecima sunt post Angulos succedentes, Tertia sexta, nona, duodecima sunt lapsæ, uel cadentes ab Angulis.

CAPVT XXII. DE ASPECTIbus *Planetarum*.

ASpectus stellarum sunt septem. Primus est oppositus, cum est inter stellam & stellam spacium centum & octuaginta graduum æqualium, & semper aspectus sic est plenæ inimicitię, quod si tunc habent latitudinem ex una parte, *est inimicitia semiplena, si in diuersis* non desinit esse plena.

Aspectus secundus & *tertius*, dicũtur quadrati, qui sunt, per distantiam nonaginta graduum, & dicuntur quadrati, quia quarta pars Zodiaci est inter ipsos, & dicuntur mediæ inimicitiæ aspectus, siue habeant latitudinem siue non.

Aspectus quartus & quintus dicuntur Trini, inter quos est distantia centum & uiginti graduum, Tertij siue

trini autem dicũtur hi aſpectus, quia tertia Zodiaci pars eſt inter ipſos, & hi aſpectus ſunt integræ amicitiæ, ſed ſextus & ſeptimus aſpectus dicuntur ſextiles, quia diſtant per ſexaginta gradus quæ eſt ſexta pars Zodiaci, atq; hi aſpectus ſunt amicitiæ ſemi plenæ.

Secundum *Ptolomæum, Aſpectus* ſextilis eſt computandus *quadratus, cum eſt in ſignis longis*, & quadratus trinus. *Sic in curuis trinus tranſit in quadratum, quadratus in* ſextilem. Sed *determinate ſcias*, quòd omnis *planeta in principio* cuiuslibet domus exiſtens, proſpicit principium domorum, ſecundum eundem Ptolomęum, & aſpectus eſt plenus infra ſex gradus ante uel retro, ſed ultra ſex gradus eſt imperfectus. Sed ſecundũ Dorotheum aſpectus finitur altero exeunte de termino, in quo fuit coniunctio, ſed ſecundum ueritatem incipit aſpectus, per tot gradus ante *coniunctionẽ, quot* ſunt gradus *lucis ſuperioris*, & tantundem perſeuerat, per totidem gradus poſt coniunctionẽ, ſed aſpectus fixarũ primi honoris, incipit per ſeptem gradus, & ſemiſſem unius, & durat tantundem, ſed aſpectus fixarũ ſecundi honoris per ſex gradus & *ſemiſſem.*

Signa longa uocat Signa longarum, ſeu rectarum aſcenſionum inter quæ recenſentur ſigna in medietate, ſigniferi deſcendenti Cancer, Leo, virgo, Libra, Scorpio,. Sagittarius.
Curua vocat ſigna breuium, ſeu obliquarum aſcenſionũ, qualia ſunt, quæ aſcendentem ſigniferi medietatẽ poſſident Capricorni Aquarij, Piſcis, Arietis, Tauri, Gemini.

CAPVT XXIII. DE CONIVNCTIOnibus, ac reliquis accidentibus Planetarum.

CVm duo planetæ coniunguntur in uno perfecto gradu, & ſi nullam habent latitudinem *coniunctio* eſt plena, & omnis planeta in ſiniſtra latitudine eſt fortior, quàm in dextra, & quãto eſt proprior altitudini Augis Epicycli, tanto *eſt* fortior, & cum tantum diſtat unus ab altero, quot ſunt gradus lucis grauis planetæ, dicitur coniunctio, & cum tantũ diſtat, quantum eſt graduum lucis leuioris planetæ, ſuperior dicitur eſſe in gradu leuis, ſed omnis planeta coniunctus ſoli per ſedecim

minuta

minuta, intra & infra eſt amicitia fortis, à ſedecim minutis, uſq; ad ſex gradus eſt combuſtio, à ſex gradibus uſq; ad quindecim gradus, dicitur eſſe ſub luce Solis, & Saturnus, Iupiter, & Mars à quindecim gradibus, ab oriente uſque ad triginta gradus, dicũtur orientales *fortiſsimi*, à triginta gradibus uſq; ad ſexaginta dicuntur *orientales mediocres*, à ſexaginta uſq; ad nonaginta *orientales debiles*. In *prima ſtatione incipit* uirtus *eorum deſtrui*, & *inde uſq;* ad Solis oppoſitionem ſunt *deſtructi*, ab oppoſitione ad ſecundam ſtationem, iam uirtus eorum incipit *dirigi*, à ſecunda ſtatione ad triginta gradus occidentales fortiſſimi, à triginta gradibus ad ſexaginta occidentales mediocres, inde ad ſub lucem Solis debiles, ab hinc uſq; ad combuſtionẽ deſtructi, & Venus & Mercurius ex poſitione Solis & retrogradatiõe exaltãtur, et deprimũtur, niſi quòd iſti duo exiſtẽtes orientales ſunt debiliores, quàm occidẽtales.

CAPVT XXIIII. DE VELOCI ſignificatione uel tarda.

Omnis *uelocis planetæ uelox eſt ſignificatio*, & *tardi eſt tarda*. *Eſt autem mediocris, cũ ab una die in alium* uadit tantum, quantũ eſt curſus planetæ mediatus unius diei, uelox eſt, cum plus uadit, tardus cum minus, & Sol ab Auge ad ſexaginta gradus ante & retrò tardus eſt, ſi plus uelox eſt mediocris, uelociſsimus uſq; in nonaginta gradus. Tres ſuperiores diſtantes, à Sole minus nonaginta gradibus ſunt ueloces, ſi nonaginta *mediocres*, *ſi plus tardi*, & *omnis* planeta aſcendendo fortior eſt, quàm deſcendendo, ut Sol ab Ariete ad Cancrum eſt aſcendens ſiniſter à Cancro ad Libram, deſcendens ſiniſter, à Libra ad Capricornum, dexter deſcendens, à Capricorno ad Arietem dexter aſcendens.

Mediatum curſum planetæ dicit, quã alias medium, mediocrem, ſeu æqualem appellamus. Sunt autem hi medij planetarum motus

	G.	M.	S.
♄	0	2	1
♃	0	4	59
♂	0	31	27
☉	0	59	8
♀	0	59	8
☿	0	59	8
☽	13	10	36

Luna à capite Draconis ad nonaginta gradus ſiniſtra aſcendens, deinde ad caudam ſiniſtra deſcendens à cauda

Siniſter ſeptentrionalis. Dexter Auſtralis.

ad nona-

ad nonaginta gradus dextra descendens. Inde ad caput ascendens. Sic quisque planeta cum capite sui Draconis, sic est & omnium planetarum, cum lux est magna eorũ, magna est significatio, sic cũ breuis est lux, breuis est & significatio, sic cũ mediocris, est mediocris, estque solis lux parua, cũ ab Auge distat infra nonaginta gradus, per nonaginta gradus mediocris, plus magna, ubi extra eum terminum transgressus est.

Lux autem Lunæ à Coniunctione ad oppositũ magna, abinde parua. Sed quinque planetarum cum sunt in Auge, uel maioris uel minoris circuli lux parua est, cum ab Auge distant, per nonaginta gradus, mediocris, in opposito Augis magna.

Est & fortitudo planetarum, cũ sunt in similitudine sua. Est autem similitudo ut planetæ diei, in die sint supra terrã, & in nocte sub terra, & planetæ noctis in nocte supra terram, in die infra.

Sunt & fortes planetæ, cum sunt in commixtione. Est autem commixtio, ut planetę masculini sint in signis masculinis, Fœminini in fœmininis.

Gaudia planetarum.

Sunt quoque fortes cum sunt in lætitia. Solis autem lætitia est in nona domo. Lunæ in tertia, Saturni in duodecima, Iouis in undecima, Martis in sexta, Veneris in quinta, Mercurij in prima.

Sunt etiam fortes quinque planetæ, cum tantum distant à loco Solis uel Lunæ, quantum eorum domus distant, à domibus Solis aut Lunæ.

Solis fortitudo est in parte magna Zodiaci, quæ est à Cancro ad Capricornum.

Lunæ fortitudo in reliqua, quæ est parua, quæ uirtus habet uim termini, sicut planetæ habent in suis Terminis.

Est autem fortitudo superioris, cum inferior ei uim dat, existens in sua uirtute, ut si Mercurius daret uim Ioui, existẽs in geminis sua domo, uel aliqua alia uirtute. Nam tunc superior

rior efficitur de natura inferioris. Cum uero superior nullam habet uim in gradu leuis suscipit uim ab eo. Quod si superior sit in luce uel retrogradatione non recipit: sed reddit ei suã fortitudinem. Quod si inferior sit in angulo, & superior sit in lapsa, bona est redditio: si superior in angulo, inferior in lapsa mala est.

Est etiam *fortitudo quæ dicitur bonitas, quæ est cum in*ferior *sit in sua depressione*, uel etiam in puteis, ac det uim *superiori existenti*, uel in exaltatione sua, uel in exaltatione inferioris, uel si inferior sit in lapsa, & det uim existenti in angulo, nam tunc redimitur. Depressionem intellige de casu planetæ.

Est etiam in planetis, quæ dicitur prohibitio, quæ fit cũ inferior est sub luce superioris, in aspectu uel cõiunctione, sed antequam per gradum lucem superioris ingrediatur, retrograditur inferior, & tunc coniunctio uel aspectus destruitur. Destruitur etiam, si inferior non tam cito coniungitur gradu per gradum superiori, quàm alius leuior, qui iam pręcessit gradum, propter retrogradationem suam, & non reconiungitur graui prius. Et dicunt Astrologi, quod coniunctio destruit *omnem aspectum.*

Et cum superantur stellæ à coniunctione, superueniunt somnia & cogitationes, secundum naturam ipsorum planetarum, & secundum naturam domorum, in quibus fuerint in cuiusq; natali, nam si sint in tertia, somniat de itinere &c.

CAPVT XXV. DE TESTIMOnijs planetarum.

TEstimonia planetarum combustorum falsa sunt, & retrogradorum à prima statione, usq; ad *Solis* oppositionem, Sed ab oppositione ad secundam *stationem* testimonia media sunt; Et Saturni & Iouis distãtis à Sole, cum est orientalis,



per ſex gradus teſtimonia media ſunt, uſq; ad 15. gradus. Si ſunt occidentales, falſa ſunt.

Item Martis diſtantis, cū eſt orientalis per decem grad. uſq; ad 15. teſtimonium medium, ſi minus diſtet falſum. Sic etiam eſt falſum, ſi minus duodeuiginti gradibus diſtat occidentalis.

Veneris teſtimonium ſiniſtre *diſtantis* à Sole per ſeptē gradus *medium* eſt, *minus falſum*.

Mercurij teſtimonium falſum, niſi ſit egreſſus lucem Solis, ſiue ſit orientalis ſiue occidentalis.

Fortaſsis rectis, ſeu recte aſcendentibus

Lunæ teſtimonium falſum, niſi diſtet à Sole per duodecim gradus, niſi ſit in ſiniſtro, in ſignis certis, nam cum remota eſt à Sole, per nouem gradus eſt medium eius teſtimoniū. In angulis uero eſt teſtimonium plenum. In poſt angulis eſt medium, in lapſis falſum.

In poſt angulis hoc eſt in ſuccedentibus ipſis angulis.

Lunæ diſtantia minor duodecim grad. à cauda ante uel retro, caret teſtimonio. Et cæteri planetæ, minus diſtantes à ſua cauda ſex gradibus ſimiliter.

Signa firma dant teſtimonia plena, Duorum corporum *media, mobilium falſa, ſed Martis & Saturni, in bono falſa, in malo uera ſunt.*

Iouis uero & Veneris in bono uera, in malo falſa. Solis, Lunæ & Mercurij indifferentia cenſentur.

In alio exemplari eſt titulus de proiectionibus radiorū, ego de directionibus & perfectionibus intelligo.

CAPVT XXVI. DE LATIONE Planetarum.

Zodiaci gradus æquales, ſunt gradus ſicut ſupra eodem vocabulo vſus eſt, de diſtinctione domorum in Zodiaco per gradus æquales. Alia eſt directio per tabulas aſcenſionum ſeu per partes æquatoris, reſpondētes in tabulis ipſis partibus Zodiaci.

FEruntur gradus uel planetæ duobus modis. Vnus fit per gradus æquales, & quiſq; gradus in natali ſignificat annū in reuolutione anni, diem.

Sed ſecundus permutatur, ſecundum terrę latitudinem, ad quam inueniendam, duæ tabulę ſunt neceſſariæ. Prima de latitudine terræ in aſcenſu ſignorum. Alia in circulo recto.

Et

Et planetam uel gradum in quo est sic ducere debes: *Si est in primæ* domus principio, ducas cum tabula terræ sic, uideas distantiam gradus, & adiacentium graduum ad quos uis ferre, & quanta fuerit distantia tot annos computa, uel dies, Quòd si in septima fuerit, *ducas cum ascendente*.

Si autem sic *in principio domus decimæ, sic ducas* cum tabula circuli *recti, ut prædiximus* de tabula *terræ. Et si sit* in *quartæ domus principio, ducas cum gradibus domus decimæ*.

Si non sit in principio cuiuslibet anguli, sed sit uel in aliqua aliarum domorum, uel in prædictis, non tamen in principio, & sit supra terram, deme gradus adiacentes gradibus decimæ domus, à gradibus qui adiacent gradui ducendo, si ipse primus ducendus sit ante meridiem.

Quòd si esset post meridiem, dematur gradus ducendi à gradibus, qui adiacent decimæ domui, Reliquum diuidatur in gradus horæ diei, cum Sol est in gradu ducendo, quæ proueniunt partes, sunt horæ remotionis ab angulo, uel minuta horæ, quæ per proportionem ad diuisorem *inuenies*.

Quòd si *fuerit sub terra, & est ante* quartam domum, gradus *sibi* adiacentes à gradibus quartæ domus aufer. Si est ultra quartam, demas adiacentes quartæ gradus à gradibus ducendi. Quod semper fiat, cum tabula circuli recti. Reliquum diuidatur in gradus horæ tortæ, quos habet oppositus gradus ducendi, quod prouenerit dicuntur horæ remotionis.

Et *postea* si planeta ducendus est à decima ad quartam ex oriente demas gradus adiacentes, ducendo à gradibus adiacentibus *illi* gradui, ad quem ducis cum tabula circuli *recti*, Reliqui sunt gradus circuli *recti*, quos *scriptos* reseruabis *cum* tabula *terræ*.

Quod si est in alio medio, à quarta ad decimam deme adiacentes opposito ducendi, à gradu oppositi ad illum, ad quem uis ducere, & hoc cum tabula terrę, reliqui sunt gradus terræ. Idem cum tabula circuli recti facias, ad inueniendos gradus circuli recti, scilicet ducendo contrarium ad contrarium, & deme pauciores à pluribus. Reliqui accipe sextam partem, quam multiplica, per horas remotionis, & qui prouenerint, sunt gradus directionis. Postea considera, si gradus terræ, fuerint plures gradibus circuli recti, demes predictos gradus directionis, à gradibus circuli recti. Quòd si pauciores, addas, & quod fuerit post augmentum, uel diminutionē, sunt gradus ductionis designantes dies uel annos.

Id est, dirige eū gradum, cum quo planeta in ea latitudine positus cœlum mediat.

Sed si planeta habet latitudinem, ducas gradum qui est in medio cœli secum.

Dicit Ptolomæus, quòd latio partis fortunæ debet esse retro. Pars autem fortunæ inuenitur, cū consideras, quot gradus æquales & minuta, sint inter Solem & Lunam, & augeas totidem gradus, à principio primæ domus. Gradus signi ad quem peruenerit, dicitur pars fortunæ, & quam habet proportionem, *Sol ad domum primam, talem Luna habebit* ad partem fortunæ. *Et sic debet esse in die,* sicut in nocte.

Vides æquales gradus semper dici gradus Zodiaci.

Sed latio partis fortunæ debet esse ante & retro, sicut dicit Ptolomęus. Sic quoqꝫ debet duci, gradus uel sidus, quòd est in medio circulo, descendente ante & retro. Et medius descendens circulus, est à principio quartæ, usque ad decimam.

Planetæ qui sunt in parte occidentali cœli, quæ est à quartæ usque ad decimæ initiū dirigantur, secundum & contra successionem signorum.

CAPVT XXVII. DE DVOBVS modis aspectuum.

ASpectus etiā fit paribus modis, scilicet per gradus æquales, uel per latitudinem terræ. Per gradus æquales est, ut quot gradus comprænhendit de signo, totidem prospiciat alterius

alterius ſigni, uel aſpectu oppoſitionis, uel quadrati, uel tertij, uel ſextilis.

Sed per latitudinem fit, ſicut per modum directionis domorum, in quacunque regione. Vt per quot gradus fuerit, in aliqua domo, totidem gradus proſpiciat alterius domus inuentæ, ſecundum terræ latitudinem. *Et iam diximus*, cum eſt ſidus *in principio domus* conſiderat *exordium alterius domus, quouis ſit in aſpectu, Sextili* quadrato uel *trino*, à dextro *uel ſiniſtro*.

Dexter ſtellæ radius proijcitur rectro, contra ſignorū ſeriem. Siniſter uero ſecundum ordinem ſignorum. Sic ſtella exiſtens in 8. parte Capricorni, quadratum dextrum habet in 8. Libra, ſiniſtrum in Arietis octaua.

Quæ ſequuntur uſque ad finem huius capitis in alio codice extabant.

Et ſi non fuerit in principio domus, & fuerit in medietate orientali, conſydera diſtantiam eius à capite Arietis, in tabula circuli recti, & illi ſunt gradus mediati. Quòd ſi fuerit in alia medietate, conſideremus diſtantiam ab Ariete, quàm habet oppoſitus gradus, cum tabula circuli recti, & illi ſunt gradus mediati.

*Poſt aſpice pro gradu terræ, ſi eſt in medio circulo orien*tali, qui eſt *à medio cœli, hoc eſt à principio decimæ* domus, per orientem uſque ad angulum terræ, conſidera quam eſt longè à capite Arietis ſidus in tabula terræ tuæ, quòd ſi fuerit ſidus in medio circulo occidentali, qui eſt ab angulo terræ per occaſum ad medium cœli, conſidera gradum oppoſitum gradui, in quo eſt planeta, qui gradus dicitur terræ.

Conſidera porrò, qui gradus ſint plures, an gradus terræ an mediati, Et conſidera quantum alteri alteros ſuperent.

Et ſi eſt gradus ſyderis in ſigno ſiniſtro, quòd eſt à capite Arietis, ad finem Virginis, & eſt gradus ſuper terram, uel in ſigno dextro, quòd eſt à capite Libræ, ad finem Piſcis, & eſt ſub terra: augeas ſuper diſtantiam prædictam, 90. gradus quòd fuerit eſt in gradibus.

 Si

Si fuerit ſidus in aliquo ſiniſtri orbis ſigno, & ſit ſub terra, uel in circulo dextro, & ſit ſuper terrã, minuas diſtantiam ab 90. quod remanet eſt in gradibus.

Et poſtea conſidera, ſi ſydus fuerit à domo decima ad primam, minue gradus medij cœli à gradu ſyderis, cum tabula circuli recti. Et ſi eſt à domo prima, ad angulum terræ, minue gradum primæ domus, à gradu ſideris, cum tabula terræ. Et ſi eſt inter angulum terræ & ſeptimam domum, demas gradus domus decimæ, à gradibus contrarijs gradibus ſideris in tabula recta. Et ſi eſt inter ſeptimam domum & medium cœli, deme gradus primæ domus à gradibus contrarijs gradibus ſideris in tabula terræ. Cuiuſcunque horum quatuor modorum percutias incrementum præſcriptum, & diſtribue in gradus, quòd in parte contingit, augeas gradibus, à quibus minuiſti gradum anguli, qui angulus ante ipſos eſt, ſi tunc ſunt alij plures. Si uero plures ipſi alijs, minue ab eis, quod partitus es in gradus. Hi ſunt gradus aſpectus in gradibus.

Sed ſi ſcire uis aſpectum ſextilem, augeas gradus aſpectus 60. & aſpectui quadrato 90. & aſpectui tertio 120. gradus, conſidera, quantum ſit in gradibus quæ erit noticia angulorum circuli recti. Et conſidera, quid in ſua linea ſit de gradibus æqualibus, in tabula circuli recti 90. additis, uel in tabula terræ, ubi fuerit ab oriente uel occidente, & conſidera, quantum ſit inter utroſq; gradus, & illud dicitur ſuperabundantia. Et conſidera, quanta ſit remotio gradus aſpectus, à gradu anguli, qui eſt ante ipſos, qui cum fuerit, percute in ſuperabundantiam, quòd erit diſtribue in gradus nonaginta.

Id eſt, multiplica.

Et ſi eſt angulus, qui eſt ante gradum aſpectus, ex parte terræ, qui angulus eſt domus prima uel ſeptima, augeas quod diſtribuiſti gradibus æqualibus terræ, ſi gradus circuli recti plures erunt: ſi pauciores minue. Quòd ſi angulus fuerit

rit ex parte medij cœli, quæ est decima & quarta, adijce quod in parte prouenerit de distributione præscripta gradibus æqualibus circuli recti. Sed si gradus mediati reperti cum gradibus oppositis, aspectus erit dexter, si gradus terræ plures sunt, & si pauciores, minuendi, & inuenies gradus aspectus.

Mihi uidetur addendum, gradus ipsi addendi erunt.

Semperq; gradus, aspectus sextilis dexter, est contrarius aspectui trino sinistro. Et aspectus sinister sextilis contrarius aspectui trino dextro. Quadrati tot sunt gradus, dextri quot sinistri.

Et hic est aspectus recta ratione dispositus. Si uero gradus aspectus est, cum additione 60. uel 90. uel 120. Est uerum, quod hi aspectus erunt dextri uel sinistri. Quod si gradus aspectus, sunt suscepti, cum gradibus sideris uel oppositionis, sume oppositionem pro quæsito aspectu.

CAPVT XXVIII. AD SCIENDVM partes planetarum.

Partes magnæ sunt duæ, prima Sol, quę est ut consideres, quot sunt gradus à loco Solis, ad 15. Leonis, & tot computa à loco Lunæ.

Secunda est Lunæ ut consideres, quot sint gradus à loco Lunæ, ad 15. Cancri, & tot computa à loco Solis, & hæ sunt in domibus eiusdem planetæ, uel si una est in domo Solis, altera erit in domo Lunæ.

Aliud exemplar habet, adiecta hæc uerba. Quod eueniet ratione ablati, cum proportione.

Hæ autem generaliter significant, cum domino ascendentis. Porrò Astrologi faciunt etiam reliquas partes 7. planetarum. Pars Solis recta dicitur, quę est ut consideres distantiam inter Lunam & Solem, & computa ab ascendente, & ubi finitur numerus, ibi est pars Solis.

Pars Lunæ accipitur à Sole in Lunam, & proijcitur ab ascendente.

Pars

Pars Saturni accipitur à loco Saturni ad partem fortunæ, & proijcitur ab ascendente.

Pars Iouis accipitur à parte recta ad suum locum, & proijcitur ab ascendente.

Pars Martis accipitur à loco suo, ad partem fortunæ, & proijcitur ab ascendente.

Pars Veneris accipitur à loco partis fortunæ, ad locum partis rectæ, & proijcitur ab ascendente.

Pars Mercurij accipitur à loco partis rectæ, ad locum partis fortunæ, & proijcitur ab ascendente.

CAPVT XXIX. DE PARTIBVS duodecim domorum.

I.

PArs uitæ accipitur à Ioue ad Saturnum, & proijcitur ab ascendente.

II. Pars lucri accipitur à loco domini duodecimę domus ad principium secundæ domus, & proijcitur ab ascendente.

III. Pars fratrum, accipitur à Saturno in Iouem, & proijcitur ab ascendente.

IIII. Pars patris, accipitur in die à Sole in Saturnum, & in nocte econtra, & proijcitur ab ascendente.

V. Pars filiorum accipitur à Saturno in Iouem, & proijcitur ab ascendente.

Pars filiorum masculorum, accipitur à Marte in Iouem, & proijcitur ab ascendente.

VI. Pars infirmitatũ accipitur in die à Saturno in Martem, & in nocte econuerso, & proijcitur ab ascendente.

Pars ægritudinum ex detrimento membrorum, accipitur in die à Saturno in Martem, & in nocte econuerso proijciturq; à loco Mercurij.

Pars seruorum accipitur à Luna in Mercurium, & proijcitur

citur ab aſcendente.

VII. Pars deſponſationis accipitur à Saturno in Venerem, & proiicitur ab aſcendente.

In alio exemplari additum erat (in die & in nocte e conuerſo)

Pars coniugij uirorum accipitur à Sole in Venerem, & proiicitur ab aſcendente.

VIII. Pars mortis *accipitur, à Luna in principium* octauæ domus, & *proiicitur à* loco *Saturni.*

IX. *Pars ſapientiæ* accipitur à Saturno in Ioue, & *proiicitur à loco Mercurij.*

Pars *itineris* accipitur à loco domini nonę domus, in gradus principij ipſius domus, & proiicirur ab aſcendente.

X. Pars Matrum accipitur in die à Venere in Lunam & in nocte econuerſo, & proiicitur ab aſcendente.

Pars honoris accipitur in die, à loco Solis in decimum nonum gradum *Arietis*, & in nocte à loco Lunæ in tertium gradum Tauri, & proiicitur ab aſcendente.

XI. Pars amicitiæ accipitur à Mercurio in partem rectam, & proiicitur ab aſcendente.

XII. Pars inimicorum à Saturno in Iouem accipitur, *proiicitur ab aſcendente, atque hæ ſunt partes duodecim domorum.*

FINIVNT ISAGOGAE

SEQVVNTVR LIBRI QVAtuor, de iudicijs *Aſtrologicis* Ioannis Hiſpalenſis.

LIBER PRIMVS
DE GENTIBVS, REGIBVS,
Ciuitatibus, aeris mutatione, fame & mortalitate.

CAPVT PRIMVM.



Onsiderandum est quod signum, & qui planeta, quas gentes habeāt in populatu, seu ditione sua.

Et est experimento Arietem & Iouem dominium habere in terra Baldac, Bebil & Erac.

Libram & Saturnum in terra Christianorum. Scorpionem & Venerem in terra Arabum. Capricornum & Mercurium in India. Leonē & Martem apud Turcos, Aquarium & Solem in Babylonia, Virginem & Solem, in Hispania.

Porrò quælibet ciuitas suum habet signum, quod fuit ascendens tempore fundationis ipsius.

CAPVT II. DE CONIVNCTIONIBVS planetarum, quæ sunt numero C. XX.

SVnt etiam considerandę coniunctiones, quarum centum uiginti sunt genera. Nam coniunctiones de duobus sunt 21. & totidem de quinq;, de tribus triginta quinq;, & totidem de quatuor, de sex septem, de septem una, Maxima autem cōiunctio est Iouis & Saturni in capite Arietis, quæ fit semel in 960 annis, & hoc demonstratur per mutationes gentium.

Mediocris uero est eorundē coniunctio in signis aquę, aëris uel terrę. Nam tres coniunctiones perficiunt continuas in signis igneis & post transeunt ad perficiendas alias tres in signis terræ, quibus perfectis continuè fit transitus ad alias

tres

tres in signis aëreis, post itẽ transit ad alias tres in signis aquę, & est inter primã ignis, & primã in signis terrę coniunctionẽ spaciũ 240. annorum fere, & hoc significat mutationes regũ.

Parua autem eorundem coniunctio est in transitu Coniunctionis signorum eiusdem naturæ ad signa eiusdem naturæ, quæ est omnibus uiginti annis, & significat hoc in ciuitatibus. Sed quocunq; anno futura est coniunctio, sic iudicabis de ea. Considera coniunctionem uel oppositionem luminarium proxime antecedentem Solis ingressum in Arietem, & quæ præcedit quartam anni in qua est coniunctio planetarũ, item quæ præcedit ipsam planetarum coniunctionem proxime, & in omnibus his tribus uel coniunctionibus uel oppositionibus, considera quomodo se habeat signum ascendens, & eius dominus, & gradus in quo est coniunctio, uel oppositio, & secundum eorum statum bonum uel malum, iudicabis statum tuæ terræ usq; ad aliam consimilem coniunctionem.

Quod si obscuratur Sol uel Luna in aliqua prædictarũ coniunctione, uel oppositione per totum, erit uniuersum iudicium secundum statum sui ascendentis & domini. Si autem *obscuretur per medium, uel per aliam proportionem, tantum & ipsa eclipsis habebit significationem, reliqua pars erit aliarum duarum.* Iudicium etiam facies secundum status eius, qui habet uigorem in loco coniunctionis,* Et est uigor illius qui plures uirtutes habet ibi.

In alio exemplari additur (Solis & Lunæ & oppositionis & in gradu signi ab oriente primi)

Posse autem seu uirtutes planetarum sic distinguuntur. Dominus domus quinq; uirtutes habet, dominus honoris 4. Dominus termini tres, Dñs triplicitatis duas, Dñs faciei unã.

Dominus autẽ ascendentis habet uirtutes duodecim, Dominus decimæ habet undecim, Dñs septimæ habet decẽ, Dominus quartę habet nouem, Dominus undecimæ habet octo Dominus quintæ septẽ, Dominus nonæ habet sex, Dñs tertię habet quinq;, Dñs secundæ habet quatuor, Dñs octauę habet tres, Dñs 12. habet duas, Dñs sextæ habet unam. Quare

 si consi-

si consideretur, duodecies tantum uirtutis habet planeta existens in prima domo, quàm in sexta, & sic de cæteris.

Porrò Saturnus, Iupiter, Mars distantes à luce Solis, usq; ad triginta gradus orientales, habent duodecim uirtutes ab inde usq; ad sexaginta undecim, usq; ad nonaginta decem, usq; ad primam stationem nouem, Stando in secunda statione habent octo, deinde usq; ad triginta gradus septem, inde usq; ad sexaginta gradus sex. In prima statione quinq;, inde usq; ad triginta gradus quatuor, inde usq; ad sexaginta tres, usq; ad oppositionem Solis duas, hinc uenientes ad combustionem, unam tantum habent.

Venus & Mercurius cum separantur à Sole, & sunt occidentales, fortes sunt, ut prædicti tres superiores orientales, & cum separantur à luce Solis, & sunt retrogradi, sunt tales, ut prædicti oppositi soli.

CAPVT III. DE VIRTVTIbus Lunæ, secundum suam proportionem, ad Solem.

LVnæ autem uirtutes adscribuntur, secundum quòd fuerit in ianuis suis, quæ ianuæ sunt proportiones eius ad Solem.

Et est prima ianua incipiens à duodecim gradibus ante coniunctionem durans, usq; ad coniunctionem.

Secunda incipit à coniunctione durans, usq; ad duodecim gradus post ipsam.

Tertia ibi incipiens, durat usq; ad quadraginta quinque gradus post coniunctionem.

Quarta ibi inchoans, durat usq; ad nonaginta gradus.

Quinta deinceps durat usq; ad centum triginta quinq; gradus.

Sexta ab huius fine inchoans, durat usq; ad duodecim gradus

gradus ante oppositionem.

Septima ibi incipiens durat usq; ad oppositionem.

Octaua deinceps ab oppositione durat usq; ad duodecim gradus post eam.

Nona postea inchoans durat usq; ad quadraginta quinque gradus post oppositionem.

Decima ibi inchoans durat usq; ad nonaginta gradus post oppositionem.

Vndecima porrò in eius termino inchoans durat usq; ad centum triginta quinq; gradus post oppositionem.

Duodecima deinceps inchoans durat, dum appropinquat soli per duodecim gradus, unde incepit prima ut diximus.

Cæterum Luna existens in octaua circuli ianua habet uirtutes duodecim, in septima habet undecim, in nona habet decem, in sexta habet nouem, in quarta habet octo, in tertia habet septē, in decima habet sex, in undecima quinq;, in duodecima quatuor, in secunda habet tres, in quinta duas, in prima unam. Et omnis planeta sub luce Solis uirtute caret.

CAPVT IIII. DE REVOLVTIONE *Anni mundi.*

IN coniunctione uel oppositione antecedente Solis ingressum in Arietem, inuenias signum ascendens in quauis terra, & secundum quod se habuerit ascendens & eius dominus & signum in quo est coniunctio, uel oppositio uel eius dominus, etiam signum ipsius terræ & eius dominus, sic erit ille annus ei regioni fortunatus uel infortunatus.

Nam si in ascendente, uel in coniunctione domini ascendentis Mars fuerit, facit infortunium de natura sua, ut bellum incendia, coniurationes, latrocinia calores. Saturnus autem dabit pluuiam tempestatem, ægritudinem de frigore, & quar

tanam &c. Iupiter uero & Venus pro natura sua fœlicitatibus suis annum beant.

Porrò Saturnus significat in senibus, mechanicis opificibus.

Iupiter in diuitibus, iudicibus seu Magistratibus.

Mars in bellicosis, medicis.

Venus in mulieribus, cantionibus, & lasciuijs.

Mercurius in sapientibus, scribis, operarijs.

Sol in dominis uel regibus. Et ut se habuerit quisq; horum in anni reuolutione scilicet, ut sit fortis ex respectu Solis, ex domibus, ex loco in quo est, ex respectu planetarum, & ex cursu sic se habebunt in illo anno, qui ab eis planetis significantur generaliter. Nam si est fortis Iupiter, bene erit cum iudicibus & clericis, & sic de cæteris.

In qua reuolutione si Sol est infortunatus, & sit cũ ipso Saturnus, morietur rex Indiæ.

Si uero cum Sole infortunato sit Iupiter infortunatus, deficiet rex Baldach & Bebil.

Si autẽ fuerit Venus infortunata cũ eo morietur rex Arabũ.

Si uero Mercurius fuerit cũ eo, infortunatus, morietur rex Christianorum.

Si uero Mars *infortunatus fuerit cũ Sole, morietur rex* Turcorum.

Si uero Luna fuerit impedita siue infortunata, gens omnis patietur, quia ipsa generaliter significat in omnibus, & erit deterius urbibus, quarum Luna est sinistra, idq; potissimũ continget cum obscurabitur Sol, uel Luna in signis ciuitatis ipsius, cum aspectu opposito uel quadrato, Saturni aut Mercurij siue dextro, siue sinistro.

Et quando Saturnus est in signis ægris, quæ sunt Aries, Taurus, Cancer, Scorpio, Capricornus & Piscis significat ægritudines longas, & dolores frigidos ac quartanos, & flegma pessimum. Quod si in signis humanis fuerit, significat

cat inimicitias inter homines, & pauperes irasci regibus, & si Mars erit in aliquo signorum ægrorum, significat acutas febres, & caloris dolorem, mortem repentinam. Quod si est in signo humanæ figuræ erunt bella, sanguinis effusio, mortes ense uel igne, sic de cæteris planetis.

Porro planetæ bonum *uel malum significantes*, si sint orientales *significant in primo medio anni.*

Si occidentales in ultima medietate anni.

*Et qui fuerint in quarta, quæ est inter septimam & quar*tam, uel in eius opposito, eorum significatio erit uelox, si uero in aliqua aliarum, erit tarda.

Cum autem planetę fuerint in angulis erit eorum significatio uelox, in succedenti angulorum mediocris, in cadentibus tarda.

Similiter significatio eorum, qui fuerint in signis mobilibus, erit uelox, in communibus mediocris, & in fixis erit tarda.

CAPVT V. DE SIGNIFICA*tione eclipsis Solis uel* Lunæ.

AIt Ptolomæus malum, quod monstrat Solis uel Lunæ eclipsis, durat per annum, sed mali summa sic inuenitur.

Considera per quot gradus distet gradus eclipsis à gradu tunc ascendente, & pro singulis quinquaginta nouem minutis, & octo secundis, *diem unum computa, & ultimus dies* computationis summam mali habebit, quæ computatio est à prima die eclipseos.

Sed cæteri sapientes *dicunt*, quod *Solis* eclipsis notat malum per tot annos, per quot horas rectas durat, adeo

adeo, ut pro qualibet hora annus ſit computandus, ſed proportio imperfectarum horarũ conferenda eſt in anni partes.

Lunæ autem eclipſis per totidem menſes malum minatur, per quot durauerit horas.

Et ſumma, ſiue ſtatus mali ſic inuenitur apud hos. Scitur quot horas cõpræhendit, uel quot horæ partes medietas eclipſis ſolaris, & tot annis & partibus anni finitis erit mali ſumma, ut ſi per tres horas duraret, erit ſic medietas durationis hora & media, quare finito uno anno, & medio eſſet mali ſumma ſiue ſtatus. Sic de Luna. Nam ſi durat per tres horas finito uno menſe, & medio eſſet mali ſumma, de quo ſic indicamus. Videmus quomodo ſe habeat ſignum, tunc aſcendens & eius dominus, & gradus in quo eſt eclipſis, qui ſi male ſe habeat, erit malum de natura facientis planetæ.

In coniunctione autem uel oppoſitione ante ingreſſum, in Arietem conſidera, quomodo fuerit ille planeta, ad cuius coniunctionem uel aſpectum uadit Luna poſt coniunctionem, uel oppoſitionẽ, et ut bene ſe habuerit ille planeta, uel male ſic erit ille annus.

Præterea etiam, ut ſe habet ſignum cõuerſionis annuę, & eius dominus, ſic erit ipſi terræ, uel urbi. Nam quod ſignum eſt aſcendens in urbis conſtitutione, in primo anno ſignificat. Secundum ab ipſo ſignificat, in ſecundo tertium in tertio, & ſic deinceps. Cum autem finiti ſunt anni duodecim, tertius decimus ſignificatur à primo, & ſic per ordinem.

Pro iſtis in alio exemplari hæc erant inſerta) Indi dicunt, quod Saturnus & Iupiter domini ſunt conuerſionis annorum generales, Sol & Mars ſingulorum annorũ. Venus & Mercurius domini menſium. Luna domina dierum & horarum.

In alio codice hæc addebantur) Eſt etiam ſciendus gradus ſigni aſcendens, in initio anni, in quo Saturnus & Iupiter, de tertia in tertiam permutantur, quæ coniunctio mediocris dicitur. Quod ſi ſignum illud aſcendens in exordio regni amicitiæ aſpectu aſpiciat, regnum augmentabitur multis ſubuenientibus. Si vero aſpectu inimico rebelles ex ſuis inſurgent regno, regnaque cum labore mutabuntur. Si autem inter prædicta ſigna, nullus eſt aſpectus, regnum deficiet. Et pro hac re conſidera ſignum, in quo eſt Mars in exordio illius anni, ſi ſit orientale vel occidentale, et in illius ſigni vrbibus erit bellum.
Conſidera præterea dominum ſigni cuiuſlibet vrbis, qui ſi infortunatus erit gentibus, & indigenis illius ſigni vrbis male erit. Si fortunatus bene. Quod ſi infortunatus erit, ex Saturno ægritudines. Si ex Marte erunt bella. Quod ſi in quadrato Solis fuerit Mars, inſurgent regni rebelles. Si in angulo contigerit, conſidera remotionẽ, quæ eſt ab ipſo ad exordium anguli, & cõputa pro duobus gradibus, et ſemiſſe vnius menſem vnum, finis numeri oſtendit tempus, in quo malum erit validius.

Quod uero ſignum, in quouis anno ſit conuerſionis ſignum, ſeu ſignificatoris ſic inuenitur. Diuiduntur anni eius

initij

initij uel constitutionis in duodecim, reliquũ numerum cõputa à signo tunc ascendente, & ubi finitur computatio, illud est signum conuersionis, & significat dies 12. & $\frac{1}{8}$. Ac si in primo gradu signi conuersionis sit bonus, uel malus planeta, uel eò respiciat, erit significatio eius in diebus 12. $\frac{1}{8}$. alios 12. & $\frac{1}{8}$. iudicabis per secundũ eius, & sic de cæteris. Nã triginta multiplicata per 12. & $\frac{1}{8}$. Faciunt annum integrum dierum 365. & sic iudicabis anni dies, secundum naturas planetarum.

In alio codice erat, ascendente in oriente in anno initij regni, vel coniunctionis prædictæ, et quot gradus sunt finiti eius signi, tot completis erit exordium, quod si nil remanserit, erit exordium conuersionis a signo inchoante, postea computa singulis gradibus conuersionis æqualibus 12. dies & sextam vnius.

Et natura Saturni, & caudę Draconis terrea est.

Capitis Draconis Iouis & Mercurij aërea.

Solis & Martis ignea.

Veneris & Lunæ aquosa.

Et quo anno est signum conuersionis illud in quo fuit malus planeta, uel etiam bonus in natiuitate, eo anno sua significatio ostenditur.

Et quo anno est etiam signum conuersionis sextum, 7. uel 12. natiuitatis non est bonum. Nam horum domini sunt inimici domino ascendentis.

In alio codice ad finem capitis hæc annectebantur. Cum fuerit in hora reuolutionis Mars in domibus suis, erit indicium multitudinis pluuiarum. Et si fuerit in domibus Saturni erit indicium paucitatis earum. Et Venus in primo gradu Cancri significabit pluuias.

CAPVT VI. DE DISPOSItione aëris.

SCire uolens generaliter, an annus sit futurus pluuiosus, cõsidera in anni reuolutione, scilicet in hora coniunctionis uel oppositionis, an signum sit aquæ, & de mansione aquosa Lunæ, & eius dominus sit aquosus, uel in signo aquoso, uel in mansione aquosa, & quæ sit natura gradus coniunctionis uel oppositionis, inde & naturã planetarum existentium in prædictis locis, uel ad ea respicientium.

Quod si sunt signa pluuiæ plura quam serenitatis, erit annus pluuiosus, si aliter contrarium erit. In quo iudicio ualet & Saturnus, nam si est in signo sicco humido calido, uel frigido, talis erit etiam annus.

Consignificat etiam in hoc hora, qua sol ingreditur in Arietem, secundum statum ascendentis, & eius domini. Et ut Saturni status significat in ingressu Solis in Arietem, & in antecedente coniunctione uel oppositione: *Sic Iupiter habet significare in coniunctione, uel oppositione, ante Solis ingressum in quamlibet aliarum quartarum. Sic etiam consideratur* Venus & Mercurius in omni coniunctione uel oppositione mensis cuiusque.

Additio ex alio exemplari.

IN coniunctione mensis si sit ascendens firmum signum significabit mense integro.

Porrò appellantur ab artificibus apertiones portarum coniunctio Solis & Lunæ cum Saturno, uel eorum aspectus ad Saturnum, in sua coniunctione uel oppositione. *Item eodem modo Iouis cum Mercurio, uel congressus uel aspectus*, aut Veneris cum *Marte. Ex his status Lunæ consideratur*, cum incipit intrare in aliquam prædictarum portarum. Nam secundum eius statum erit tempus, usque dum intret in aliam ianuam.

Cæterum Venus significat humiditatem, Mercurius uentos, Saturnus nubila, & frigus, Mars uentos à dextro seu meridie, & calorem à septentrione sinistro, Iupiter temperiē aëris uentosque à sinistro, quod in Cancro magis significat. Sicut Mars in Capricorno, & Sol in Ariete, sic de reliquis.

Si itaque apertio portarum fuerit cum Mercurio, erit uentus cum pluuia.

Si Mars intuetur Coniunctionem uel oppositionem Solis

lis & Lunæ, uel dominum eius, erunt lampades, tonitrua, fulmina. Auge tamen uel deme naturæ Martis, naturam signi, uel termini, in quo est ipse.

Quod si Saturnus aspiciat loco Martis, & sit in signo terræ, significat destructionem domorum, si in signo aquæ, minatur frigus, nubila, tenebras.

Quod si planeta ibi retrogradus fuerit, significat pluuiam magnam.

Luna in pluuia posse habet.

Sol nunc pluuiam, nunc serenitatem significat, nam in loco inferiori sui circuli pluuiam significat, in superiori serenitatem.

Idem est iudicium de reliquis planetis.

Luna præterea accipit uirtutem à planetis, prout eorum natura existit, & ut planetæ permutantur, à dextro ad sinistrum, & econuerso, uel à uelocitate ad tarditatem, & econuerso, uel ab ascensu ab inferiori parte circuli ad superiorem, & econuerso, uel ab ingressu aut discessu ab angulis. Similiter facit coniunctio planetæ uel aspectus. Sic significant etiã aspectus astrorum fixorum, pro sua natura, præsertim si contingant in angulis.

In uetustiori exemplari sic.

LVnæ uero status consideratur, cum incipit intrare in aliquam prædictarum portarum, nam secundum eius statũ erit tempus, usque dum intret in aliam ianuam.

Consideratur etiam ubi sit Venus Sole intrante in Libram, quæ si sit in signo pluuiæ, & sit sub luce Solis occidentalis, erit in principio anni pluuia multa, in fine autem pauca, si orientalis fuerit econuerso.

Signa multæ pluuiæ ſunt aquoſa ſigna, uidelicet aquarius, finis Capricorni, Aries, Taurus, Leo, omnibus fortiora ſunt Aquarius, Piſcis, Scorpio.

Et quoties Saturnus coniungitur uel corpore uel radio Soli uel Lunæ, aut Iupiter Mercurio, uel Venus Marti, ſignificant pluuiam futuram.

Et Saturnus ſignificat pluuiam cum frigore.

Iupiter aëris temperiem.

Mars uentos à dextro & calorem.

Sol caliditatem & ſiccitatem.

Venus humiditatem.

Mercurius uentos.

Luna uero ſumit proprietates à planetis, quas terræ attribuit.

Et cum intrat luna Cancrum in hora Solis, uel Virginē in hora Veneris, uel Sagittarium in hora Lunæ, uel Geminos in hora Mercurij, uel Taurum in hora Martis, uel Libram in hora Iouis, ſignificat pluuiam uel uentos, ſecundum naturam ſigni, in quo eſt dominus illius horæ.

Sic etiam pluuiam notat, ſi Luna ſeparatur à gradu lucis illius planetæ, per coniunctionem uel aſpectum, & intrat lucem alterius, per coniunctionem uel aſpectum, ita tamen quod illorū domus ſint oppoſitæ, Verbi gratia, Luna ſeparatur à Marte, & coniungitur Veneri, quorum domus ſcilicet Aries, & Libra ſunt oppoſitæ. Sic Luna exiſtente in quarta, & ſigno fœminino, ſi eam proſpiciat retrogradus exiſtens in ſigno fœminino, erit pluuia.

In alio codice. Atque hæc eſt apertio magnarū ualuarum, in qua neceſſe eſt euenire uentos vel pluuias, prout eſt natura illorum planetarum.

Additio ex alio codice.

Quod ſi Luna ſit in ſigno alicuius ciuitatis, uel in aliquo eius angulorum, quod ſignificat fore dicitur in illa urbe, ſi autem eſt in poſt angulis, ſed in ſigno aſpiciente ſignum urbis, ſignificatio minor erit, & ſi in ſigno non aſpiciente urbis ſignum ſignificatio caſſa erit.

Caput

CAPVT VII. DE EODEM.

IVdicabis autem particulariter de aëris mutatione sic: In cõiunctione Solis & Lunæ, considera quod signum sit ascendens in ipsa, & cuius sit naturę an sit mansio humida uel sicca & dominus signi an sit pluuialis naturę uel non, & signum in quo est ipse, cuius sit naturę, & qui planetæ sint in signo ascendente, uel cum domino eius, uel in eorum aspectu similiter, qui sint coniuncti Lunæ, uel aspiciant eam tunc, uel qua in domo, uel qua mansione sit ipsa Luna. Quod si plura testimonia sint planetarum & signorum prædictorum in pluuia, illa media lunatio erit, scilicet usque ad tempus oppositionis pluuiosa.

Quod si plura conueniant in serenitate, erit serena.

Si æqualia, indifferens erit.

Quod si futuram inueneris eam pluuiosam, tunc faciet pluuiam, cum coniuncta fuerit alicui pluuioso planetæ, uel si prospexerit ipsum, uel intrauerit aliquod signum pluuiosum.

Quod si pluuiosa non est futura, parum mutare possunt aërem coniunctiones uel aspectus planetarum cum Luna.

Alteratur etiam aër, si quis planetarum transeat de dextro ad sinistrum, uel contra, uel de uelocitate ad tarditatem, uel contra uel ab Auge ad oppositũ, uel contra, uel à directione ad retrogradationem, uel contra, uel de orientali efficitur occidentalis, uel contra, uel intret aliquod signum, uel egrediatur, nam his superuenientibus, frequenter aër clarus efficitur turbidus uel econuerso.

Et ut iudicamus de coniunctione ad oppositionem per ascendens & dominum eius, &c. ut est prædictum: Sic iudicamus per horam oppositionis, usq; ad coniunctionem. Semper autem in oppositione consideramus gradum luminaris, existentem supra terram.

Quod si luna est sub luce pluuialis planetæ, per coniun

ctionem uel aspectum, in hora coniunctionis uel oppositionis, per quot gradus tunc distat ab eo planeta ad perfectionem aspectus uel coniunctionis, tot diebus finitis post horam, qua est coniunctio uel oppositio luminarium, incipiet pluere.

Maximum præterea est pluuiæ testimonium, ut omni mane uideatur, quantum est à Sole ad Saturnum, & tantum à loco Lunæ computetur, quod si computatio finiatur in domo Lunæ uel Veneris, pluuiam notat, si in domo Mercurij, uel Iouis uentos, si in domo Martis, uel Solis serenitatem, si in domo Saturni, nubila.

Est etiam uidendum, an in mansione humida uel sicca finiatur eadem computatio, secundum quod iudicabis.

Venus etiam in Scorpione, uel Capricorno, uel Aquario Lunæ proportionalis pluuiam notat, *Sic & tres planetæ in Aquario iuncti.*

Summæ autem notandum est, quod tempore æstatis, duo testimonia pluuiæ, minus ualent, quàm unum in hieme, Sic duo serenitatis minus faciunt in hieme, quàm unum in æstate.

Et quod in una terra pluit, in alia nõ potest esse, uel quia hora conuersionis habet aliud ascendens, uel quia signum unius terræ in ipsa hora habet planetam pluuialem, & alterius terræ signum habet serenum planetam. Videamus ergo planetas cuiusque partis & signum.

CAPUT VIII. DE PARTIBUS mundi distributis planetis & signis.

LVna significat in occidentali plaga, scilicet in Hispania, Anglia, Armenia, Francia, & in sexta plagarum.

Sol in secunda parte orientalis plagæ ad Rimi & Orazim. *In alio Arim & Abram.*

Saturnus

Saturnus in prima parte plagarum India & Aetiopia.
Iupiter in quarta parte, Persia, Bellus, Alirac. In alio Bedil & Bedal, & Almic.
Mars in septima parte in terris ultra mare.
Venus in quinta parte, Arabia.
Mercurius in tertia parte, *Daylen.* In alio Dydleni.

Arietis est *Bebil, Persia, Palestina, Elmosa, Eschasar,* In alio Olmazar, Elezar.
Tauri, Asia *minor, Crebros, Splehen.* In alio Trabospetu.

Geminorum, Virgen, Tabrastre, Armenia maior, Adargen, *Babylonia,* Barca. In alio Cabaffe.

Cancri, Barbaria, Affrica, Ermedia, Roma, Ledechia, Armenia minor. In alio Lachezia.

Leonis, Turcorũ terra, Italia, Damascus, Alcufathos, Iegut, Megut, Eluuatzara. In alio Alcufacos. In alio Ionia.

Virginis, Marfunar, Thubet, Edices, Athene. In alio Meerzina.
Libræ, Nacra, Carmena, Ethiopia, In alio Marsinuar.
Scorpionis, Ygesfi, Carasus, Medie. In alio Diana. In alio Mechei.
Sagittarij, Alienna, Philistim, *Sicilia,* Sardinia.
Capricorni, Zuida, Arean, Macedonia. In alio Frigij
Aquarij, Surti, Fergana. Fergudia.

Piscis, Alexandria, Anglia. Astrologi dicunt, quod signum Cancri est Hierusalem, alij quod Leonis 19. gradus. Secundum ueritatem uero Aquarius est eius signum, & quidam dicunt signum Romæ esse Aquarium, cuius signum est Leo, & Pisæ signum esse Piscis, experimento autem est secundus gradus Aquarij, Cancer Panormi. In alio Lucæ.

Signum uero Palermi, primus gradus Leonis.
Signum uero Affricæ quartus gradus Leonis.

APHORISMI IN ALIO codice inuenti.

Cum

SEmper considera, cũ Luna seiungitur à coniunctione Solis uel oppositione, quis planetarum sit propior Soli in ingressu eius in caput Arietis cũ quo planeta iungitur, uel eam aspicit aspectu pleno, & si est planeta fortunatus, erit annus bonus, pluet in tempore suo, & messis erit multa, multi fructus, pecudes cũ similibus, & si planeta ille dat uim planetæ infortunato, uel si Luna dat uim stanti in angulo, & ille planeta dat uim stanti in domo lapsa, finis anni malus erit, & quisque planetarũ nocet, ut est eius uia.

Et uia Saturni est fons suffocationis in aqua, cum est Saturnus in domo, uel in aliquo signorum, quæ dicuntur partes Solis. Significat submersionem in aquis, si sit Saturnus in his, quæ dicuntur partes Lunæ. Si erit in signo calido calorem significat, & siccitatem. Si sit in signis humanæ figuræ, significat bella latronum, & erit bellũ ualidum ingresso Marte sub lucem Solis, uel in domũ sui dedecoris, sic significat & Iupiter ingressus Lucem Solis.

Considera an sit Mars orientalis, uel occidentalis, uel à dextro, uel à sinistro, in quorum parte Mars erit superabunt.

Et si Mercurius cum Marte fuerit in exordio anni, uel in aliquo angulorum de quatuor, significat mortalitatem in terris, quas notat signum in quo iunguntur.

Si Saturnus cum Mercurio erit, suntque in uno signo, significat motum terræ.

CAPVT IX. DE DVODENArijs signorum.

INdi diuidũt signum ascendens in 12. partes, & contingunt in quauis parte duo gradus cum semisse, & quisque de gradibus huius diuisionis habet significare cum duodecim gradibus. Nam primus gradus ascendentis significat cum duodecim

cum gradibus primis ipſius ſigni, ſecundus autem gradus ſignificat cum alijs 12. ſubſequentibus, tertius cum alijs 12. & ſic uſq; ad finem ſigni. Nam omnes gradus ſigni comprehẽdunt totum firmamentum, quia triginta per duodecim ducti faciunt, tercentum ſexaginta gradus. Prout ergo ſe habuerint in reuolutione anni duo gradus & ſemiſsis aſcendentis, & ipſum totum ſignum ſibi conſignificans, ſic erit primus menſis. Et ut ſe habuerint duo alij gradus cum ſemiſſe qui ſequuntur, & ſecundum ſignum conſignificans, ſic erit ſecundus menſis, & ſic de cæteris: Ita ut ſicut ſingulis menſibus, ſingula figuræ cœleſtis ſigna reſpondent, ſic duo gradus cum ſemiſſe compræhendunt integrũ ſignum ad conſignificandũ.

Indicatur autem bonum uel malum, ſecundum naturam planetarum, qui ſunt ibi uel proſpiciunt. Nam ſi infra duos gradus & ſemiſſem ſit Iupiter, uel etiam infra triginta qui cõſignificant, ſerenus erit primus menſis.

Quod iudicium Latinis eſt inſolitum.

CAPVT X. DE FRIDARIIS *Planetarum.*

IVdicantur & tempora, ſecundum Fridarias planetarum, & prima Fridaria eſt Solis, quæ habet annos decem.

Secunda Lunæ, & habet annos nouem.

Tertia capitis Draconis, & ſunt anni eius tres.

Quarta Iouis, & ſunt anni eius duodecim.

Quinta Mercurij, & ſunt anni 13.

Sexta Saturni, & ſunt anni 11.

Septima caudæ Draconis, & ſunt anni 2.

Octaua Martis, & ſunt anni 7.

Nona Veneris, & ſunt anni 8. & ut per ordinem ſunt

honoris sic per ordinem significant, nam quia Solis honor est in signo primo ipse primum significat, quia Lunæ honos est, in secundo, & sic per cætera. Numerus autem annorũ est 75.

Volens ergo scire de cuius frigidaria sit quisq; annus, demas ab annis Christi 15. annos, reliquum diuidas per 75. & quod remanet à diuisione, distribuas per planetas à Sole incipiens. Et in cuius annis inueneris, ipse est dominus fridariæ. Exemplum de diuisione in 75. remanserunt octodecim, de quibus Soli dabis decem, reliqui in annis Lunæ remanent, nam ipsa compræhendit usq; ad 19. annos.

Anni autem Iouis, Veneris, & capitis Draconis boni, & fortunati sunt.

Anni Saturni, Martis, & Caudæ mali.

Anni Solis, Mercurij, & Lunæ indifferentes, nam iudicantur secundum naturam eorum, qui eis coniunguntur uel corpore, uel aspectu.

CAPVT XI. DE MANSIOnibus Lunæ.

Temperata. Lunę mansiones sunt 28. prima ab oriente incipiẽs dicitur cornua Arietis, earum stellarũ similitudo est hęc. O o
o

Sicca. Secunda est uenter quæ habet 3. sidera. o
o o

Tẽperata. III. caput Tauri, quę habet sex sidera parua. o o
o
o o
o

Humida. Quarta sidus magnum & rubeum, post illud, sunt sidera parua, & magnum dicitur oculus Tauri. o o
O o o
o o
o o

Sicca. Quinta est caput canis ualidi, & sunt tria sidera inter duo magna. O

o o

o

O

Temperata. Sexta est sidus magnæ lucis, & fit paruum. O

Humida. *Septima est brachium Leonis, sunt duo Lucida sidera.* o

o

Temperata. Octaua est nebulosa, sunt sidera duo cum nube media. o

o

Sicca. Nona est oculus Leonis, sunt sidera tria o o

o

Humida. Decima fortuna dicitur, sunt sidera quatuor o o

o o

Temperata. Vndecima est Capillus, & sunt sidera duo o

o

Humida. *Duodecima est Cauda Leonis, & est sidus magnum.* O

Tẽperata. Decima tertia Canis dicit̃, sunt sidera 4. o

o o o

Temperata. Quarta decima Spica dicitur, & est sidus maximum. O

Sicca. Quinta decima cooperta dicitur, & sunt tria sidera parua. o o

o

Humida. Sexta decima, sunt sidera magna seiuncta o

o

Humida. Decima septima corona, sunt tria sidera super caput Scorpionis lineatim o

o o

In alio exemplari sexta decima sunt tria sidera parua.

neatim posita magnæ lucis cum duobus alijs similiter in eadem linea. ooooo

Temperata. Decima octaua cor Scorpij sidus grande & rubeum inter duo parua. oOo

Humida. Vndeuigesima est cauda Scorpionis, sunt duo lucida sydera in eadem linea cum alijs nouem. OOooooooooo

Humida. Vigesima est Trabs sunt 8. lucida sydera. oo oo oo oo

Temperata. Vigesima prima desertum sine stellis □

Humida. Vigesima secunda, est pastor sunt tria sydera sic disposita. o oo

Temperata. Vigesima tertia, glucies sunt duo sydera parua. oo

Temperata. Vigesima quarta dicitur fortunæ sidus, sunt duo sidera. o o

Sicca. *Vigesima quinta est papilio, sunt sydera sex.* oo oo oo

Sicca. Vigesima sexta dicitur primus hauriens aquam, sunt duo sidera lucida. oo

Humida. Vigesima septima secundus hauriens aquá & sunt duo sidera lucida. oo

Temperata. Vigesima octaua dicitur piscis, & sunt quindecim sidera. ooooooo o ooooooo

Indi dicunt, quod mansiones quæ significant pluuiam sunt 11. scili-

11. scilicet oculus Tauri, brachium Leonis, Sors, Cauda Leonis cooperta, cornua, Scorpij, corona super caput eiusdē, cauda, Trabs, Pastor, primus hauriens aquam.

Et sunt sex siccæ mansiones, uenter Arietis, caput Canis ualidi, oculus, cor Scorpij, Papilio, hauriens secundus, Reliquæ sunt temperatæ.

Debes considerare quolibet mense coniunctionē *Solis* & Lunæ, & *eius oppositionē*, & quadratum, dextrum & sinistrū, & *in quibus mansionibus Lunæ*, *humidis* uel siccis sint quinqꝫ planetæ, & in qua mansione sit ipsa Luna, & quę mansio Lunæ sit ascendens ab oriente, & sic cognosces partes mensis in quibus futura est pluuia.

Et semper debes considerare signū ipsius terræ, & eius angulos, eiusqꝫ dominum & aspectus.

LIBER SECVNDVS DE NATIVITATIBVS.

CAPVT I. DE MORA INFANtis, in utero matris.



Nunc de natiuitatibus. In hora natali inuenias ascendens, & loca omnium planetarum. Ait autē Hermes, quod locus Lunę in cōceptione erit ascendens in natiuitate, & gradus Lunæ in natiuitate fuit ascendens in conceptione.

Quod si Luna fuit in natiuitate in principio primæ domus à conceptione usqꝫ ad natiuitatē fuerunt ducenti septuaginta tres dies, quod tempus moræ medium dicitur.

Quod si *fuerit in* exordio occidentis gradus fuerunt

dies moræ ducenti quinquaginta octo, quod tempus breue dicitur. Quòd si in gradu sequenti occidentem Luna in natali fuerit, dies moræ fuerunt ducenti octuaginta octo, quod tempus magnũ dicitur. Quòd si in alio fuerit à prędictis locis, uideas, si est supra terram in natiuitate, quòd si sic, considera per quot gradus distet ab occidente, quos percute in centum, & octuaginta, & diuidas in tercentum uiginti octo, sic enim cõtingent horæ, quas in dies reducas, & addas tempori breui, & tantum fuit à conceptione ad natiuitatem.

Quod si est sub terra, considera quantum distet ipsa ab orientali gradu, & ducas diuidasq;, ut tibi prædiximus, & dies quos collegeris, adde ducentis septuaginta tribus, & habebis tempus, à natali ad conceptionem.

CAPVT II. DE NVTRITIONE.

INuento gradu ascendente, inquiras, an puer sit nutriendus, & dicit Ptolemæus, quod tempus nutriendi, est spacium unius anni. Alij uero Astronomi, ponunt spacium quatuor annorum, nec est iudicandum de Genesi, nisi habito testimonio uitæ, & hoc non nisi cum tribus testimonijs, quæ sic inuenias, Si natale est in die, & Sol sit in decima uel undecima domo sine coniunctione Martis & Saturni, aut earum inimico aspectu, & habeat uim in ascendente, uel sit dominus horæ natalis, ipse est unum testimonium plenum, quod si nec uim habet in ascendente, nec dominus horæ fuerit, testimonium medium est, Si autem est in nona uel septima, cum planeta fortuna, uel eius aspectu, & habet uim in ascendente, uel sit dominus horæ, est testimonium plenum. Si est sine fortuna, uel eius aspectu medium est testimonium. Quod si est in decima uel septimo cum infortuna, uel inimico aspectu, & habet uim in ascendente, est integrum testimonium, non nutriendi. Quod si hoc modo sit in nona uel undecimo, est

est medium. Si est in octauo uel duodecimo, quocunque modo testimonium falsum est, tam ad bonum, quam ad malum. Postea considera locum Lunæ, quæ si sub terra existens, prospiciat planetam existentem supra terram, qui aspiciat ascendens, est unum testimonium uitæ. Quod si ille planeta sit combustus uel retrogradus, est testimonium mortis. Quod si Luna est in oppositione, uel quadrato Saturni, uel Martis, & ipsa sub terra, & illi supra terram, & est ab ipsis recepta, est medium uitæ testimonium, si non est recepta, nihil significat.

Recipitur autem planeta, si ipse est in aliqua uirtute superioris. Quod si ipsa habet ullam proportionem, existens sub terra, cum Ioue uel Venere existentibus supra terram, & sic recepta est plenum testimonium uitæ, Si non est recepta medium. Sed in coniunctione uel amico aspectu Iouis uel Veneris ubicunque sit, siue supra terram, siue infra, est primum testimonium uitæ. Quod si supra terram, det uim ulli infortunæ sub terra, est primum testimonium mortis. Quod si est supra terram, & sit coniuncta, uel proportionalis infortunæ existenti supra terram, est primum testimoniũ mortis, si non est recepta, si recepta, medium. Si nulli est proportionalis planetæ, nihil significat. Quod si est proportionalis fortunæ & infortunæ, est testimonium falsum. Si combusta, est unum testimonium mortis. Si in uia combusta, medium mortis testimonium. Item erit si est in opposito, uel quadrato Solis.

Sed in natiuitate nocturna, si Sol sit in prima quarta uel quinta domo, sine mala proportione infortunæ, & habet uim in ascendente, uel dominus horæ sit, est plenum uitæ testimonium. Quod si nec uim habet in horoscopante signo, nec dominus horæ est, medium uitæ testimonium ab eo sumitur. Quod si quis ex fortunis planetis est in ascendente decimo, uel undecimo signo, & est dominus illius anguli, est

plenum

plenum testimonium uitæ. Si uero est dominus anguli medium dicitur.

Si quis de infortunis est in aliquo angulorum & est dominus illius anguli, est plenũ testimonium mortis. Si non est dominus anguli, medium est. Porrò & tres domini triplicitatis ascendentis significant in nutritione, nam primus unum annum cum parte tertia unius significat, sic & secundus & tertius. Similiter & ascendens in primo anno, secunda domus in secundo, tertia in tertio, quarta in quarto, & sicut se habent planeta uel signa, sic erit puero in sua significatione. Nam si ascendens & primus dominus triplicitatis, est bene & fortis, sic erit in primo anno puero. Si autem erit male locatus, & debilis econtra. Nam si est ibi Saturnus uel Mars, facit ægritudinem de sua natura, uel calore, uel frigore, & sic de secundo & tertio anno.

Post hoc inuenies dominum uigoris, scilicet illum, qui habet plures uirtutes in locis quinq;, qui sunt locus Solis, Lunæ, gradus ascendens, coniunctio uel præuentio luminarium præcedens, & pars fortunæ. Quo inuento eius uide statum & ascendentis eiusq; domini, similiter & Lunæ. Nam si isti sunt fortes, tota uita eius erit fortuna, Si debiles cõtrarium erit. Est tamen hæc fortitudo secundum naturam planetarum, & eorum, qui ei uel radio uel coniunctione annexi sunt, idem est de fortunio iudicium. Quod si dominus uigoris est fortunatus in angulo, ualet duo testimonia uitæ. Si est post angulum unum, si in lapsa nullum. Quod si est in angulo infortunato, ualet duo testimonia mortis, Si post angulum unum, si in lapsa nullum. Exemplum. Dominus ascendentis erat Venus fortunata à Ioue: Ergo uita erat fortunata in uxoribus propter beneficam Veneris naturam, & in lucro propter naturã Iouis. Econtra in malo, si sit dominus ascendentis Mars infortunatus à Saturno, erit uita infortunata in bello propter Martem, & in ægritudine propter Saturnum, & sic in cæteris

ris eorum significationibus. Et ut iudicas de domino ascendentis, sic dicas de domino uigoris, Luna, & ascendente. Est autem planetarum uirtus quintuplex. Prima scilicet, an sit fortis respectu Solis, propter uicinitatem uel remotionem. Secunda est ex itinere cito uel tardo. Tertia ex fortitudine loci in quo est. Quarta ex *respectu planetarum*. Quinta ex fortitudine domorum, *scilicet si sit in angulo*, *uel post angulum*, uel *in lapsa*.

CAPVT III. DE SIGNIFICATIONE domorum in natiuitatibus.

ET quia in natiuitatibus iudicamus secundum domorum diuisionem, uideamus quæ significatio cuique domui attributa.

Prima significat in uita sapientia, & completione animi & corporis. Nam si ascendens se bene habet, ex eo quod in ipso sunt fortunæ planetæ, uel prospiciunt eo, & dominus ascendentis similiter se bene habet, erit fortunatus in prædictis significationibus puer.

Secunda domus significat in pecunia, suffragijs, & insidijs.

Tertia in fratribus, consanguineis, soceris, itineribus paruis, in doctrina ecclesiastica.

Quarta in patre, absconditis, prædijs, ædificijs, foueis.

Quinta in filijs, uestibus, iucunditate.

Sexta in seruis, infirmitatibus, profectione pecudum.

Septima in uxore, communitate pugnis.

Octaua in morte, timore, carcere.

Nona in uijs longis, omni sapientia in diuino cultu.

Decima in matre, dignitatibus.

Vndecima in amicis, fortuna, negotiatione.

Duodecima in inimicis, conuitijs, animalibus magnis.

In natiuitate ergo prout quæque domus, & significatores earum se habuerint, sic erunt significationes suæ. Nam primæ domui consignificat Saturnus, Secundæ Iupiter, Tertiæ Mars, Quartæ Sol, Quintæ Venus, Sextæ Mercurius, Septimæ Luna, Octauæ Saturnus, Nonæ Iupiter, Vndecimæ Sol Duodecimæ Venus. In hoc est notandum, quòd Luna primæ domui consignificat in corporis natura & completione, Mercurius significat in completione animi. Primum igitur de natura Mercurij agamus.

CAPVT IIII. DE SIGNIFICATIONE planetarum, & ascendentis super qualitate nati.

Mercurius, si fuerit in sua domo honore *termino uel triplicitate*, & *in* loco forti secundum ascendens, uel sit fortunis planetis proportionalis & rectus, & prospiciat ascendẽs, erit natus directus in suis actibus, & in omni ægritudine discretus. Qui si est in fortitudine Iouis, uel Veneris, uel etiam *Saturni fortunati à fortunis, erit homo liberalis, & timens* Deum. *Qui si est proportionalis Saturno, erit inuestigator* rationum. Quod si est *dominus uigoris, & bene positus erit* ualidus in omni scientia. Quòd si est in opposito uel quadrato Saturni uel Martis, cum est combustus, significat mendaciũ & infamiam. Dixit Ptolemæus cum fuerit in Sagittario, uel Geminis infortuna, quam aspicit aliqua fortunarum, & sit ascendens aliquod prædictorum, significat dæmoniacos *in terra* se prosternentes. Mercurius in sua domo significat *grammaticum*, Dialecticum, si est ibidem cum Sole, non tamẽ combustus notat Astronomiam. Mercurius cum Marte, uel in eius malo aspectu notat homicidam, & plus Marte existente in domo humanę *similitudinis*. Est etiam considerandus planeta, habens uigorẽ in loco Mercurij & Lunæ. Qui si est de planetis,

In alio exemplari est (& non respicit ipsam fortuna, sed infortuna respicit illum, significat dæmoniacos)

planetis supra Solem, significat animam liberalem & gloriosam si ipse sit fortis, & signum ascẽdens, si est firmũ, notat hominis constantiam, Si mobile inconstantiam, Si commune simulationem. Mercurius cum est retrogradus, & maxime existens dominus uigoris, significat iracundiam & impudicitiã.

Hæc ex alio exemplari adiecta sunt.

Si Mercurius est sub radijs solaribus, uel dominus uigoris significat debilem animam & inuidam. Et si dominus uigoris, qui habet uim in loco Mercurij & Lunæ, & Mercurius occidentalis fuerit, & de planetis supra Solem, significat animam uerecundam humilem, & laboris patientem.

Astrologi dicũt, quòd sicut Saturnus habet se in natiuitate, sic erit fortitudo pueri, ad tollerandum laborẽ & modestiam. Et Iupiter significat uim crescẽdi, Mars autẽ uim iræ, Sol uirtutẽ potentialem, Venus uoluptatẽ mulieris, & æstus læticiæ, Mercurius uim eloquẽtię, qui si in angulis fuerit, erit eloquentia corporalis, si in domo lapsa spiritualis. Luna aũt significat naturã pueri, seu complexionẽ. Debes igitur cõsiderare, quot planetę ipsam prospiciant, & in quo signo sit, & ex hoc dinoscitur forma pueri. Debet etiã miscere locũ Lunæ, cũ signo ascendẽte. Nã signa pulchritudinis sunt Gemini, Virgo, Libra Sagittarius. Medię pulchritudinis, Scorpio, Capricornus et Piscis. Et est considerandũ, quę similitudo siue imago de triginta sex, ascendat cũ gradu ascendente, & quę cũ Luna similitudo sit, ex quo color dinoscit ad proportionẽ suæ terrę & parentũ. Est etiam considerandus dñs horæ, ad notitiam coloris, & dñs uigoris. Et domus prima & undecima, significat albos & quinta, Octaua uero 6, & 12. nigros. Decima autẽ & quarta rubeos, cęteræ cõmixtos. Si autẽ signũ ascendens fuerit in breuibus, & dñs uigoris, & Luna in signis breuibus, erit infans humili staturæ ad parentũ proportionẽ. Si aũt in longis signis fuerint ecõuerso. Et si dñs uigoris habet latitudinẽ erit pinguis

ad proportionem parentum. Si latitudo erit á dextro, *erit* leuis corpore, si à sinistro grauis. Et si ipse & Luna fuit in cinctura, erit macer.

Cincturam appellat Eclipticam.

Quæ sequntur usq; ad finem capitis huius, in alio exemplari inuenimus.

POst consideratum ascendens cum *sua imagine*, quæ cum illo exoritur, considera *etiam dominum ascendentis* ac uigoris, & *prout est natura signorum in quibus est*, sic *fiet* natura *pueri*. Et si dominus ascendentis & uigoris fuerint orientales á Sole, augent calorem. Si occidentales frigus & humiditatem. Quod si ascendens signum habuerit similitudinem humanam, ac Luna ac dominus uigoris & ascendentis, similiter habebit uelle conuersandi semper cum hominibus. *Si* uero fuerint in signis agrestibus, fit & natus agrestis. Et rursum considera locum Solis cum Luna, hoc est coniunctionem uel oppositionem primum, & considera cui Planetarum Luna dat uim cum seiungitur à coniunctione uel oppositione *Solis, & itidem inspicias, quem planetarum Luna consideret, in natali, & cui uim tribuat. Quòd si Saturno det*, natus aptus erit, ad multos labores tollerandos. *Si Ioui, cito crescet*, & erit sanus in corpore, & inquiret uerba Dei, Si Marti, fit iracundus & uerbosus. Si uero Veneri, fit inquisitor mulierum, ioci & epularum, Si Mercurio, fit sapiens, & bonas habebit manus ad opera, Quod si nulli prorsus, fit homo piger & torpidus. Et semper considera ascendens, eiusq; dominum *cuius* sunt naturæ, Quod si est una de domibus Iouis, *quæret* pecuniam, *filios*, & iustitiam facere, *Sic* de alijs iuxta naturam planetarum, *ut dictum* est.

CAPUT V. DE INVENIENDO HYLES.

Magistri

MAgistri Astrologię, uocant dominos uitæ Hyles, & Alcochoden, quod exponitur uxor & uir. Quod si in die natiuitas sit, & Sol sit in decima domo, & ipsum aspiciat unus dominorum signi in quo est, perpendere potes longitudinem uitæ. Si multi planetæ ipsum aspiciunt, suscipe potiorem planetam, qui plures uires habet. Sed si nullus planeta aspicit Solem, non elegas uitæ significationem ex ipso. Porrò idem est iudicium de Sole, si sit in domo undecima, siue sit in signo masculino, siue in fœminino. Sed si Sol est in septima domo, uel nona, & est signum masculinum, & aspicit ipsum aliquis dominorum signi ipsius, eliges uitam à Sole & eius loci domino. Si nullus aspicit, uel etiam aspicit, cum est in signo fœminino, ex eo uitam non eligas, si etiam in octaua uel duodecima fuerit, non eligas. Si inter Solem & gradum ascendentem habetur minus quinque gradibus, & si Sol est supra terrã, & aspicit ipsum aliquis dominorum sui signi in quo est, suscipe ipsum. Si non aspicit, non sumas. Si Sol sit in loco, unde capi non potest, aspice locum Lunæ. Quæ si est in domo decima uel undecima, & est domus fœminina, & aspicit Lunam aliquis dominorum signi in quo est, ab ipsa & eius domino sumas uitæ iudicium. Si nullus aspicit, uel si etiam aspicit cum est in signo masculino, non capias. Si autem fuerit in domo septima, uel sit supra terram minus quinque gradibus, à gradu ascendente siue sit in signo masculino, siue in fœminino, si modo aspicit eam ullus sui signi dominorum, sumas ab utroque iudicium. Si autem in domo octaua uel nona, uel duodecima fuerit, non sumas. Si uero sit in signo ascendente sub terra, uel in tertia domo, & sit signum masculinum uel fœmininum aspiciatque eam ullus dominorum signi sume ab utroque uitæ significationem. Si uero non aspicit, uel etiam aspicit, cum est in signo masculino, non sumas. Si uero fuerit in domo quarta uel quinta, in signo fœminino, & aspexerit illam dominus eius, sume ab illa uitam. Si uero fuerit in alia subterranea do-

mo, etiamsi aspiciat eam suus dominus uel non, non recipe eam, & si sic in secunda, uel sexta, aspiciat eam dominus suus, uel non, non sumas ab illa uitam. Cæterum si nec Solem, nec Lunam inueneris in loco, unde capere queas, considera an coniunctio uel oppositio Solis & Lunæ, fuerit ante natiuitatem. *Si coniunctio* antecesserit, considera gradum coniunctionis, qui si fuerit in domo decima, undecima, uel septima, & aspicit in natiuitate illum *aliquis* dominorum *suorum*, sumas à gradu, & domino eius uitam. *Simile erit iudicium*, si gradus coniunctionis fuerit in ascendente, quarta uel quinta. *Si autem* in aliis domibus fuerit, non nominatis, supra terram, uel infra, siue aspiciat eum dominus suus, siue non, non sumas. Si uero oppositio præcedit natiuitatem, aspice in hora oppositionis, utrum luminare fuerit supra terram, eius suscipe gradum, qui supra terram est, cuius *iudicium* est ad modum prædictum coniunctionis. Si non potest uita eligi à coniunctione, uel oppositione luminarium, considera partem fortunæ, quam si inueneris in quoquo angulo, uel in domorum aliqua quæ sunt post angulos, quę aspiciat gradum ascendentis, & *aspicit ipsum ullus dominorum signi in quo est*, suscipe uitam ab ea, & *eius domino. Si autem non aspicitur*, uel si pars ipsa est in domo non aspiciente gradũ ascendentem, uel est in domo lapsa, non capias ab ipsa significationem, sed à gradu ascẽdente, siue aliquis dominorum ipsum aspiciat, siue non, quod tamen, si in natiuitate contigerit, erit uita nati breuis.

Si natiuitas in nocte fuerit, aspice an sit Luna in aliquo prænominato loco, & sumas ab ipsa, & domino signi, in quo est uitæ iudicium, si tamen aspicit eam. Si uero nõ sit Luna in aliquo prædicto loco, uel si sit ibi nõ aspiciente ipsam aliquo dominorum signi Luua repudiata, aspice locum Solis, quem si inueneris in signo ascendente, uel in domo quarta uel quinta, ac sit signum masculinũ uel fœmininum, iudica uitam nati ab ipso, & domino signi, si aspicit ipsum, Si autem est in domo

mo secunda, tertia, sexta, uel in loco aliquo ex prædictis, aspiciente ipsum domino signi, quære uitam à gradu coniunctionis uel oppositionis, secundum quod proprior fuerit natiuitati, uel à gradu partis fortunæ, si hic gradus fuerit ad modum, quem in diei natiuitate nominauimus. Si aliter sumas à gradu ascendente.

CAPVT VI. DE ALCOCHODEN.

CVm aũt sciueris à quo quinq; locorum sumas hyles, qui sunt locus Solis Lunæ coniunctionis uel oppositionis, & partis fortunæ, & gradus ascendens, aspice quis sit dominus loci, qui intuetur ipsum, & si Saturnus, uel Iupiter sit dominus & ascendunt ante Solem liberi à cõbustione, & sunt ante primã stationẽ in aliquo angulo, tanta erit uita nati, quot sunt anni magni illius planetę. Si autẽ fortis est à Sole, & est in aliqua domorum quæ sunt post angulos, erit tanta nati uita, quot sunt anni mediocres planetæ. Si in lapsa dabit annos paruos. Si planeta ille fuerit occidentalis respectu Solis, in statione secunda, & in uno angulorum, significat annos magnos, si in statione prima sic positus fuerit, dat annos mediocres.

Si in domo secũda ab angulis fuerit, decernet annos paruos, Si autem in domo lapsa erit, dabit annos paruos mediatos. Si autẽ retrogradus fuerit, & est in prima retrogradatione minuas duas quintas ab annis, quos significat. Si autem in retrogradatione secunda extiterit, minuas unam quintam annorũ. Si Mars est dominus eius, est iudicium ut prædictorum duorũ, nisi quod cũ est inter ipsum, & Solem minus decem gradibus, estq; orientalis, nõ significat uitã. Sic cum inter ipsum & Solem, minus duodecim gradibus habetur, cum est occidentalis. Sic etiam est iudicium Veneris & Mercurij, nisi quod ualidiores sunt occidentales, quam orientales. Si sunt domini uitæ Sol uel Luna in angulo, significant annos magnos. Si in domo secunda ab angulis mediocres. Si in

lapsa paruis. Omnis planeta fortuna coniunctus cum domino uitæ, uel aspiciens ipsum, si est in angulo, auget uitæ annos suos paruos, si in secunda domo ab angulo, donat menses, pro numero annorum, si in domo lapsa dies. Si planeta infortuna est coniunctus domino uitæ, uel aspicit ipsum ab oppositione uel quadrato dextra uel sinistra, & est in angulo, minuit annos suos paruos. Si in secunda ab angulis minuit tot menses, si in lapsa, tot dies. Et si dominus uitæ sit unus planetarum leuium, & dat uim suam planetæ, qui ipsi præest, & suscipitur ab eo, iudicium annorum uitæ erit secundum annos superioris planetæ, & hoc est repertum ad inueniendum annos uitę secundum uicinitatem ueritatis. Sed pro ueritate mera ducendus est locus uitæ, cum gradibus æqualibus, ad locū interfectoris, qui est Locus Saturni, uel Martis, uel Mercurij infortunati, uel eorum oppositionis, aut quadrati locus, à dextro uel sinistro. In hunc ordinem pertinent etiam Cauda Draconis, cuiusque planetæ, prior gradus domus septimæ, & quartæ, Prior gradus lucis Solis in coniunctione, gradus eius oppositionis, uel eius quadrati à dextro uel sinistro, locus Lunæ, & gradus ascendentis, & hi incisores uel interfectores supra omnes incidunt. Sed caput & cauda Draconis supra Lunam tantum.

CAPUT VII. DE LOCIS stellarum fixarum.

Est stella quintæ magnitudinis, secundum alios de natura Veneris. Caput Algol, siue Medusæ aut gorgonis est stella tertiæ magnitudinis, secū dū alios, de natura Saturni ac Veneris Secundum alios est de natura Veneris occulta.

CAput caudæ Arietis, est hodierno tempore in 7. gradu 15. minu. Tauri eius latitudo à sinistro est 4. grad. 50. minu. naturæ Mercurij & Martis. Est ibi & caput diaboli, in Tauri 15. grad. 25. minu. eius latitudu 23. grad. naturæ Martis.

Et oculus bellatoris siue diaboli, est in Tauri 10. grad. 35. minu. latitudo eius 20. grad. 40. minut. à sinistro naturæ Martis.

Oculus

Oculus Tauri in Tauri 28. grad. 35. minut. eius latitudo 5. grad. 10. minut. à dextro naturæ Saturni.

Secundum Cardanũ naturæ Martis.

Nubes in pectore cancri est in 26. gradu 15. minuto Cancri, latitudo eius 40. minut. à dextro naturæ Saturni.

Hæc nebulosa ab aliis præsepe dicitur, de natura Lunæ & Martis.

Caput Canis ualidi in Geminorum 12. grad. 55. minut. latitudo eius dextra 18. grad. 50. minut. nebulosa de natura Martis & Mercurij.

Canem validum, siue magnum vocat Orionem, & dicitur hæc stella alias caput sublimati, siue audacis.

Cor Leonis in Leonis 18. grad. 25. minut. eius latitudo sinistra 10. minut. naturæ Martis.

Nubes quæ est in capite Leonis, est in 10. grad. 15. minut. Leonis latitudo eius sinistra 12. grad. naturæ Saturni & Martis.

Est stella tertiæ magnitudinis.

Cor Scorpij in Scorpionis 28. grad. minut. latitudo eius dextra 4. grad. naturæ Martis.

Secundum alios Iouis & Martis.

Nubes in Sagittario, est in Capricorni 1. grad. 5. minu. latitudo eius sinistra 45. minut. naturæ Martis & Lunæ.

Secundum alios naturæ Solis et Martis

Sagitta Sagittarij in Sagittario 22. grad. 32. minut. latitudo eius sinistra 2. grad. 50. minut. naturæ Martis & Lunę.

Secundum alios dicitur Borealor arcus Sagittarij naturę Iouis et Martis

Poples gallinæ in Aquarij 28. grad. 5. minut. latitudo eius sinistra 63. grad. 45. minut. naturæ Martis & Mercurij

Est nebulosa in genu dextro gallinæ qnintæ magnitudinis.

Humerus equi maioris dexter in piscium 18. grad. 5. minut. latitudo eius sinistra 3. grad. naturæ Martis, & hæc sidera in septuaginta annis mouentur gradu uno.

Hæc stella ab aliis appellatur crus pegasi, estque magnitudinis secũdæ naturæ Martis & Iouis.

CAPVT VIII. DE DIRECTIONIBUS.

DVcto loco uitæ cum gradibus æqualibus, ad interfectorem ad sectionem termini, debes locum uitæ, etiam ducere ad locum sectionis cum gradibus mixtis terræ, & gradibus circuli recti, ut prædictum est. Et aspectus planetarum debent fieri mixtim cum gradibus terræ, & gradibus circuli recti, ut prædiximus. Nec debes iudicare supra se-

ctionem uitæ, si non coniunguntur hæc duo testimonia, quæ sunt ductio uitæ, cũ gradibus æqualibus, & gradibus mixtis ad locum sectionis. Si Iupiter fuerit uel Venus in loco sectionis, liberabitur à morte, & uiuet tot annos, quot sunt anni lucis eorum, si sunt in angulo, si autem in secunda domo ab angulo, erunt menses, si in domo lapsa, dies. Sic est iudicium eorum aspectuũ, nisi unus fuerit eorum in domo mortis. Cum autem Sol aspicit sectionem aspectu trini, uel sexti, si sit in angulo, significat uitam non secari, quoad locus uitæ ad aliũ sectionis pertingat locum. Si Sol nõ est in angulo, debes considerare reuolutionẽ, cuiusq; anni ab inceptione aspectus Solis, ut docebitur in tractatu reuolutionum annorum. Antiqui dixerunt quod termini planetarum in fortunarum uitam secant, sic etiam fines eorum, & gradus dedecoris cuiusque planetæ, sed experimento depellitur, & cum pertingit aliquis locorum præter eum, à quo uita est recepta ad locum sectionis, infirmitatem leuem facit. Et hactenus de uita & qualitate nati ex significatione planetarum & ascendentis.

CAPVT IX. DE AEDIFICIJS & paupertate.

COnsidera, utrum dominus secundæ domus, sit in ascendente, aut cõmunicet cum domino ascendentis, & si non est in domo lapsa, habebit lucrum sine labore, si econuerso in lapsa fuerit, fiet contrariũ prędicti. † Quod si Iupiter fuerit in natali, sit in honore suo, uel habeat uim in ascendente, uel cõsideret partem fortunæ, uel sit dominus domus Solis in natali diurno, uel domus Lunæ in natiuitate noctis, & sit dominus horæ, aut dominus uigoris, & fuerit bene ex parte Solis, uel in loco ubi uim habet, aut in angulo, uel in domo undecima, nõ deerit nato census, & diuitiarũ affluentia in uita. Et si Iouem sic positũ aspiciat Saturnus aspectu bono, habebit stabilia multa.

In alio codice. † Si uero dominus ascẽdentis aspiciat dominum substantiæ, uel eius domũ uel partẽ fortunæ aspectu inimico destruet opes suas manu propria. Si in domo secunda habeatur planeta infortunatus, uelle proprio dabit facultates aliis. Si uero talis planeta sit ibi, & non sit dominus ascendentis, ui eripitur ei, aut furto. Et si dominus uigoris est infortuna natus fiet auarus, & tenax, Si fortuna fuerit erit liberalis. Sic illi quibus Capricornus ascẽdit, cupidi sunt & auari natura, quia dominus ascendentis & secundæ est eadem infortuna. Sic & infortuna in secunda, significat multa aduersa ex insperato, & fortuna uicissim multa præter spem prospera.

multa, Si malo aſpectu, expendet multa in ædificijs. *Si Mars* autem ipſum aſpicit bono aſpectu, habebit cenſum multũ ex bello. Si malo aſpectu, latrones & germani obruent ipſius cenſum, prout domus eſt, in qua Mars fuerit. Si Saturnus ſit in ſigno aquæ, habebit lucrum *maritimum*. Quod ſi alius à Ioue, ſit dominus *uigoris*, & *habeat coniunctionem cum* Ioue, uel aſpiciat eum aſpectu bono, erit *natus diues, minus tamen quàm in prædicta ſignificatione. Si dominus uigoris ſit Mercurius erit adhuc minus diues. Et ſi dominus ſecundæ dat uim domino* gradus aſcendentis, uel domino *uigoris*, abundabit opibus abſq; fatigatione. Et ſi dominus gradus aſcẽdentis, uel dominus uigoris dat uim domino ſecundæ domus erit diues, ſed cum labore. Et etiam conſiderandum, quo in loco ſit pars fortunæ, & quis planeta eam aſpiciat, & ex illo planeta poteſt inueniri, quale futurum ſit eius lucrum. Et ſic eſt conſiderandum, quo loco ſit pars cenſus. Porrò ſi dominus ſecundæ domus, uel Iupiter ſint ſub luce Solis, uel nõ aſpiciant aſcendens, uel dominum eius, & ſint in domo lapſa, carebit natus cenſu, & ſi in domo quarta fuerit fortuna, uel eius dominus *dat uim domino ſubſtantiæ, & ſit angularis ſupra terram* non cõbuſtus, & *aſpiciat dominũ aſcendẽtis, habebit cenſum* ex occulto. *Cæterũ antiqui* Aſtrologi dixerunt, quod ſunt conſiderandi domini tertiarũ ſigni uiciſsitudinis. Eſt aũt uiciſsitudo diei Sol, noctis Luna. Dicunt etiam uitã hominis tripartito diuidi, ſicut dñi tertiarũ ſunt tres, & erit fortunatus infans tẽpore alicuius dominorũ tertij fortunati pro natura planetæ ipſius, & domus in qua eſt, et ut ſunt domus in quibus planeta ille poteſtatẽ habet. Infortunatus aũt erit in contrario. Alij aũt donant domino primę triplicitatis mediam *uitã*, Domino ſecundæ *triplicitatis*, tertiam partem, Domino *triplicitatis* poſtremæ ſextã partem. Præterea *planetæ, qui ſunt in* angulo aſcendente, uel medio cœli, ſignificant bonum uel malum, pro natura ſua in medietate prima uitæ. Qui uero in angulo ſeptimæ uel quartæ ſunt, ſignificatio eorũ eſt in ultima medie-

tate uitæ. Sic & planetæ qui ante Solem ascendunt orientales significãt in prima medietate uitę. Qui uero occidentales sunt à Sole in ultima medietate. Item planetæ qui sunt supra terram in primo medio, qui uero in natiuitate sub terra sunt, in postremo medio uitæ significant. Indi uero diuiduntuitam in nouem partes, quarum quamlibet Nouahar dicunt. Et nouena prima est in domo duodecima, secunda in undecima, tertia in decima, quarta in quinta, quinta in secunda, sexta in tertia, septima in nona, octaua in octaua, nona in prima. Estq́ iudicium secundum naturam planetarum, qui fuerint in domibus, uel domos, earúmue dominos aspexerint. Suntq́ue hæ domus directæ, ut est latitudo terræ.

CAPVT X. DE FRATRIBVS & sororibus.

DOmus tertia est fratrum, & paruorum itinerum. Dorothius dicit dominum triplicitatis primę domus tertiæ significare fratribus primis magnis. Dominum triplicitatis secundæ in medijs. Dominum autem triplicitatis ultimę, in paruis & posterioribus. Ptolomæus uero dicit, Saturnum & Iouem significare in fratribus magnis masculis, Martem & Solem in mediocribus, Lunam in sororibus magnis, Venerẽ in paruis, Mercuriũ in paruis masculis & fœminis. Quòd si fratres & sorores à fortunato planeta prædictorum significãtur, & uitam & bonum habent, Si ab infortunato econtrario. Quod si quis horum significatorum aspicit aspectu amicitiæ gradum ascendentis, uel eius dominum, uel dominum uigoris, fratres se mutuo amabunt. Si aspicit aspectu inimicitiæ discordes erunt. Et si Mars dominus domus tertiæ fuerit in domo carente filijs, non habent fratres, si uero fuerit in signo paucorum filiorũ habebit fratres, sed paucos, si in signo multorum filiorum, habebit multos. Astrologi scripserunt autẽ

libros

libros iudiciorum, ex quibus sciri potest, an sit filius primogenitus, uel nō, considerando an sit Saturnus in angulo, uel dominus ascendentis in tertia, uel dominus domus tertiæ in signo ascendente, uel Sol in signo ascendente, & in suo honore. Si quod horum fuerit priorum erit infans. Sed expertum est in natiuitatibus multis hoc abrogari, etiam cum omnes rationes prædictæ simul conuenerint, cuius rei meminimus, ne in libris inueniendo fidem daremus. Porrò Ptolemæus dicit, si fuerit Sol & Luna, & signum ascendens, uel dominus horum signorum in signo duorum corporum, significat filiū fuisse de Geminis, sed experti sumus multoties hoc non recipi. Cum astrolabio compertum est hæc omnia signa, & omnium planetarum corporum duorū esse. Eadem retinetur ratio, quòd fratres dinosci dixerint, an sint coniuncti genuina paternitate, nec ne, sed fratrum parentum & filiorum ratio non elucescit, nisi ex proportione eorum ad infantes. Hoc uero in ueritate præcipiendum est de fratribus, hoc est, ut aspicias locum Martis, & domum tertiam, & eius dominum, & si dominus tertiæ domus fuerit fortunatus, & sit in signo masculino, in quarta orientali circuli, erit bonū fratribus masculis, Si in domo fœminina, in quarta occidentali, erit bene sororibus. Quod si infortunatus sit, ibidē male erit eis. Quod si ipse oppositu sit ascendenti, uel domino eius, uel domino uigoris, uel in eorum quadrato, erūt contentiones inter eos, & fortior, superabit. Si dominus tertiæ domus aspicit aliquem ex prædictis aspectu amicitiæ, erit inter eos concordia multa. Et si aspicit partem fortunæ aspectu amicitiæ, fructum capiet infans ex fratribus. Si aspectu inimicitiæ, fratres eius bona diruent. Sic est iudicium eiusdem aspectus, ad domum secundam uel eius dominum. Et ad hunc modum, quem dominus tertiæ domus habet, Mars quoq; se habet & fortius. Semperq; consideranda est pars fratrum, in qua domo sit, & dominus eius, an eam aspiciat partem, & qui cum ea sint, aut

aspexerint, seu boni, seu mali. Quod si sit in signo masculino, bene uel male habebunt fratres. Si in fœminino sorores. Quod si dominus uigoris uel ascendentis est in domo tertia, uel dominus tertiæ in ascendente, aut aspicit dominum ascendẽtis, uel dominũ uigoris, uel si planeta leuis habetur in tertia qui tribuat uim uel ascendentis uel uigoris domino, habebit natus multa itinera propinqua, & plus si fuerit domus tertia ex signis mobilibus, & si prædicti planetæ fortunati fuerint, erit ei bene in suis itineribus, si infortunati male. Iupiter autem, si fuerit in domo ista, uel Sol significat super fidem, si sit domus masculina, inquiret scientias, & sic si Luna fuerit ibi & sit illa domus fœminina. Et sic si Mercurius est dominus ascendentis in hac domo positus.

CAPVT XI. DE PArentibus.

COnsiderat, si natiuitas, in die fuerit locum Solis, & an sit fortunatus uel infortunatus, quod si est fortunatus *in uno angulorum, significat uitæ paternę diurnitatẽ, cum prosperitate* & *honore*, *si est in domo secunda ab angulis fortunatus* tamen, imminuet bona prædicta, *Si in domo lapsa*, bonum erit paruum. Si autem fuerit infortunatus, contraria erunt omnia, seruatis ĳsdem malorum gradibus, quos antea in bonis constituimus. Si uero fuerit Sol in domorum aliqua bonarũ, quas in uita prænominauimus pueri, ipsumq́ꝫ aspiciat dominus eius, suscipe annos paternos qui restant à domino domus, estq́ꝫ ducẽdus locus Solis duabus rationibus, ad quemlibet locum sectionis. Omnis autem planeta fortunatus, uel infortunatus, qui est sub luce Solis, & aspicit locum sectionis neqꝫ bonum, neque malum significat. Quod si Sol non sit in tali loco, ut ab ipso uita patris eligi possit, sumas à loco Saturni,

ni, quem duc ad locum sectionis, unà cum Sole. Quod si nec à Saturno potest fieri electio, sumas à domo quartæ, & à gradu partis patris, & utrumque ad locũ sectionis ducere debes, & non iudices sine testimonijs duobus. Et si domini triplicitatis domus Solis fuerint in natali fœliciter positi, bene habebit pater, & erit fortunatus, post filij natiuitatem. Si male contrarium fuerit. Et Sol si fuerit cum Saturno, uel in oppositione, uel in quadrato, parum uiuet pater, & cum multa ægritudine. Quod si fuerint coniuncti, nec bene, nec male significant. Si autem Sol est cum illis coniunctus, detrius significat, quàm si est in opposito uel quadrato. Quod si est cum illis in alio aspectu, uel trino, uel sextili, plus innuit boni quàm mali.

Quod si natiuitas nocturna sit, considera Saturnum, sicut de Sole suprà diximus. Quod si nequieris ab hoc significationem uitæ patris sumere, locum Solis suscipe. Quod si nequieris, sumas à domo quarta, & parte patris, & ducas ut prædictum est ad locum sectionis. Ptolomæus autem dicit, quod uita patris à domo decima est sumenda, Matris autem uita sumenda est à quarta. Et Dorothius dicit, si natiuitas sit in die quarta patris, decima matris erit, si autem in nocte, econtra. Sed uerum est domum quartam super patrem, decimam uero super matrem significare, idque experimento iudicij notauimus. Et nota, quod si dominus ascendentis fuerit cum Sole in natali diei, uel cum Saturno in natali noctis, & fuerit receptus, ab ijs pater semper diliget filium, quod si non fuerit receptus, semper illum habebit odio, Sic Solis uel Saturni cum domino ascendentis aspectus amicus uel inimicus significat. Quod si Saturnus fuerit fortunatus, & ascendens fuerit terreum, significat ipsum fortunatum in possessione terræ. Præsertim si Saturnus fuerit in domo quarta, uel plus si fuerit domus illa terrea. Similiter, si Dominus domus quintæ dat uim

domino ſecundæ. Quod ſi Saturnus aſpicit dominum quartæ domus aſpectu amicitiæ, erunt puero curiæ & prædia multa. Si uero Saturnus eſt dominus aſcendentis, uel uigoris, diliget puer diruere turres & ædificia. Et eſt cõſideranda pars domorum, quæ ſumitur in die à Saturno ad locum Lunæ nocte econtra, eaq; diſtantia à gradu aſcendente numeratur, & eſt obſeruandum, an Saturnus aſpiciat partem illam, uel ſit eius dominus. Si autem dominus ſecundæ, dat uim domino quartæ, & eſt fortunatus dominus domus quartæ, ſupra terram exiſtens, & ſi aſpicit aliquem horum dominus uigoris, uel aſcendentis, inueniet puer theſauros ſubterraneos. Tempus uero inuentionis indagatur à ſtatu domini quartæ domus. Cæterum Aſtrologi dixerunt, quartam domum eſſe ſepulchrum hominis. Quare ſi planeta fortunatus fuerit in domo quarta, erit finis eius honorabilis. Si infortunatus ibi fuerit, erit cõtrarium. Dorothius quoq; dicit primum dominum triplicitatis domus quartæ, habere uim in patre. Secundum dominum triplicitatis in morte. Tertium dominum triplicitatis in domibus. Si autẽ Sol uel Saturnus, uel dominus quartæ domus fuerit oppoſitus domino aſcendentis, uel domino uigoris, uel in eius quadrato dextro uel ſiniſtro, erunt contentiones & bella inter patrem & natum, & fortior uincet, Si prædictus aſpectus fuerit amicitiæ, uel ſi fuerint ſimul iuncti, erunt concordes.

CAPVT XII. DE FILIIS.

PRius conſiderandum, an ſit puer ſanus membro genitali, quod ex Venere cognoſcitur, quæ ſi ſit infortunata in Scorpione, nec Mars eam aſpicit, patietur ibi. Si Venus fuerit in Leone iufortunata itidem, Si autem cum Saturno ea fuerit Marte non aſpiciente, ex frigiditate regionum generare nequibit, dominus quoq; filiorum eſt Iupiter ſecundum

eius

cuius statũ in natiuitate etiam filij erunt. Sed si ipse sit in quarta orientali, quæ est orientis & Solis, habebit filios in pueritia, si in quarta occidentis & Solis, in senectute. Est etiam considerandus dominus horæ filiorum, & dominus quintæ domus, & locus Iouis, ex quibus cognoscitur numerus masculinorũ & fœminarum, & filius à planeta fortunato significatus erit fortunatus, ab infortuna decretus, erit infœlix. Ostendimus igitur quæ signa filios monstrent, quæ non. Si dominus uigoris uel ascendentis aspiciat dominum domus quintę aspectu amicitiæ, uel etiam Iouem, uecordes erunt filij. Si contrario uel quadrato, econtra. Doronius autem dicit dominum primum triplicitatis domus quintæ habere posse in filijs primis, secundum dominum triplicitatis in medijs, & tertium dominum triplicitatis in ultimis. Ptolemæus uero dicit Saturnum & Iouem significare in primis filijs, Solem & Martem in medijs, Venerem & Mercurium in ultimis. Euce autem, qui dicitur Hermes, dicit Saturnum & Martem prohibere filios, similiter & Mercurium cum his uel eorum aspectibus, uel in eorum domibus, Iouem & Solem filios masculos dare: Venerem & Lunam fœminas. Considerandа etiam sunt signa horum planetarũ, & quarta in qua sunt respectu Solis, & ex parte ascendentis, mascula sint an fœminina. Inde enim de sexu filiorum coniecturam facere potes. Item an signa ipsa significatorum sint paucorum filiorum an plurium. Vnde de multitudine aut paucitate filiorum iudicare poteris. Si dominus uigoris fuerit in domo quinta, & est fortuna, uel cum Venere, puer erit hilaris. Si Saturnus ibidem est dominus uigoris, erit mœstus. Si Mars ibidem dominus uigoris, erit uorator magnus. Sic si Mars est in domo quarta, & domus ipsa igneæ naturę auidius edunt. Sic cum Venus est in Cancro uel Leone. Iubet etiam prædictus Hermes considerare distantiam inter Martẽ & Iouem, & addere tantũ ascendenti, nam in fine numeri erit pars filiorũ. Quæ si in quarta uel in signo

 fuerit

fuerit masculino, secundum quod fuerint etiam planetæ, ue signa masculina, ut dictum est, erunt pueri masculi, uel fœminæ. Quod si dominus quintæ & Iupiter fuerint in quarta masculina ex parte Solis, habebit filios in prima ætate. Si in fœminina, in ultima habebit. Si Iupiter & idem dñs fuerint in domo bona, habebit filios bonos. Cæterum alij dicunt partẽ filiorum sumendam esse à Ioue in Saturnum, eamq́ distantiam addendam ascendenti, Quòd si eam partem aspicit Sol uel Iupiter, uel Luna, habebit filios.

CAPVT XIII. DE INFIRmitatibus.

SExta domus significat ægritudines, ancillas, seruos, pecora parua. Si Solem in angulo inueneris in natiuitate diei, & peius, si in septimo, & si est cum Saturno, aut eius opposito uel quadrato, à dextro uel sinistro, nec aspicit Solem Venus, nec Iupiter, erit puero male in oculo dextro. Si prædicto modo Luna se habet, in oculo sinistro. Si Iupiter aspicit Solem infortunatus, erit detrimentum luminis, et macula inuisibilis. Si Saturnus est in aliqua domorum naturæ aquosæ, oculus erit lachrimabilis & fluidus. Si Sol sit in angulo Marte uel opposito uel quadrato, à dextro uel sinistro, nec aspicit Iouem, detrimentum ac dolores patietur in oculo causa ictus. Si Mars sit in domo similitudinis humanæ, præsertim in domo naturæ ignis, patietur excremationem oculi, Si in domo naturæ aquæ, ex calida aqua, Si autem in alia suarum domorum, erit ex ferro, & peius si dominus uigoris, uel dominus sextæ sit Sol, & peius si sit Saturnus uel Mars in signo Leonis. Et sicut Sol in oculo dextro, sic Luna in sinistro significat, si prædicto modo se habeat.

In natiuitate autem noctis Luna in dextro, Sol in sinistro.

nistro significat, & hæc oculorum significatio, à Sole uel Luna est, Cum autem sub terra Sol fuerit in cerebro, Luna uero in stomacho significat, & Saturnus frigus, Mars calorem operatur. Cum autem est sub luce Solis Saturnus infortunatus supra terram, significat malum in aure dextra, cum sub terra, in splene, Iupiter autem supra terram in aure sinistra, sub terra in corde, Mars in aure dextra super terram, in epate sub terra. Luna sub terra in domo aliqua Saturni, malum significat in pulmone, Venus autem in aure sinistra supra terram, in renibus sub terra. Mercurius supra terram in lingua, sub terra in felle significationem habet, Qui si sit cum Saturno alicubi, uel cum opposito, uel quadrato dextro, uel sinistro, uel in domo Saturni, lingua erit grauis ad loquendũ, sed si Mars Mercurium aspicit linguam soluit, & expeditam facit. Sic est iudicium, cum est Mercurius in domo Saturni infortunatus, & peius si fuerit Mercurius dominus ascendentis, uel uigoris. Nam cum dominus est uitæ, si uirgo ascendens fuerit, & Mercurius è regio cum Saturno in piscibus, natus erit mutus, Si uero Mercurius sit in quacunq; domo muta, uox eius erit rauca non sonora. Si uero idem in domo humanæ similitudinis extiterit, uox erit ualida. Si Luna sit cum Saturno, in qualibet domo aqueæ naturæ, nec Iupiter ipsam aspicit, qui sic nascetur leprosus erit. Si Luna sit infortunata in Geminis uel Piscibus, erit scabiosus. Signa quoque infirmitates significantia sunt, Aries, Taurus, Cancer, Scorpio, Capricornus & Piscis. Luna autem in domo Saturni, significat tussim. Et est considerandũ in quo signo sit dominus uigoris infortunatus, & quod membrum signum in homine respiciat. Si autem dominus uigoris sit in uno termino, cum domino sextæ domus, erit æger perpetuum, & peius si sint ambo in domo sexta. Si uero sit dominus sextæ in signis firmis, erit infirmitas longa, si in mobilibus breuis, Si in communibus mediocris. Si Saturnus & Mars sint orientales, erit

infirmitas in medio primo uitæ: Si occidentales in ultimo. Ex parte uero fortunæ cognosci potest macula coloris, quo sit loco.

Hermes quoq; dicit cum fuerint inter Solem & Saturnum, uel Martem octuaginta duo gradus à dextro uel sinistro significat *infirmitates* multas & malum in oculo, si sit natiuitas diurna, *Sim*ile est iudicium cum inter Lunam & prædictas *infortunas* sunt totidem gradus *in natali* nocturno. Si autem Saturnus in domo *septima uel duodecima fuerit* infortunatus, significat *malum* per annum. *Si sit Saturnus* & Mars & *caput* Draconis in domo sexta, significant casum ab alto ad contritionem ossium. Et si sit Luna in signo ascendente cum Marte & est crescens: uel cum Saturno, & est decrescẽs, Vel in eorum oppositione uel quadrato, infirmitas erit habitudinalis in tota uita. Semper autem considerandum est, quod membrum habeat dominus sextæ domus si est infortunatus, ex hoc enim cognoscitur, quo loco futura sit infirmitas. Et omne latus dextrum est Solis, sinistrum Lunæ. Antiqui autem considerant ægritudinem à parte ægritudinis, quę est sumenda à *Saturno* ad Martem & *numerandum tantum, quantum est in gradibus eius distantiæ à gradu ascendente*: Sed prædictum *uerbum est uerum*, hoc non. Quod si dominus sextæ domus est in domo similitudinis humanæ, & est fortunatus, nato erit commodum ex seruis & captiuis: Si infortunatus, econtra. Et ut erit aspectus domini ascendentis ad dominum sextæ domus, sic erit inter ipsos amicitia, uel inimicitia. Et Mercurius significat in seruis & pueris, *Saturnus* in senioribus. Quod si Mercurius *fuerit* in domo *sexta* fortunatus habebit seruos bonos, si uero infortunatus *malos*, si dominus *sextæ* domus fortunatus fuerit, & consideret ascendẽs uel dom*inũ eius* amico aspectu, dominus habebit amicitias cũ seruis mutuas, si in *inimico* sit aspectu erit contrarium. Quod si idem sit in domo decima receptus à domino ascendentis,

uelle

uelle domini iudicabitur super se. Quod si nõ fuerit receptus, fiet tumultus inter illos super hoc. Idem est si dominus huius domus fuerit oppositus ascendenti, uel domino eius. Dicit Ptolemæus cuius ascendens erit Taurus uel Scorpio, habebit amorem ergo seruos & ancillas, & augebit suas infirmitates ob timorem uel crapulam, & hoc quia dominus ascendentis, & domus sextæ est idem planeta, qui si sit fortunatus in domo sexta, natus fiet fortunatus ex parte pecoris, & plus, si illud signum fuerit terrenum.

CAPVT XIIII. DE CONIVGIO.

SEptima domus significat super coniugia, societates, & cõtraria, seu bella. Porrò primum pro coniugio nati aspice locũ Veneris, quę si sit in Leone, uel cõmunicet uim planetę existenti in Leone significat mala multa ex Venereo appetitu, & si Venus sit in ascendente, uel in undecimo signo erit natus amator mulierũ. Si est in domo septima uel quarta, quandoq; erunt ei cum mulieribus rixæ, quandoq; concordia. Quod si est in domo Saturni, nec amabit, nec odio habebit mulieres. Si est ea in domo Martis, fornicator erit, Si Mars et Saturnus aspicit Venerem, ex opposito, uel quadrato, erit detrimentum causa mulierum contingens. Sic cum Venus est in domo duodecima. Quod si est eadem in aliqua sua domo, uel Lunæ, uel in domo quinta magnas ac suaues ex mulieribus suæ stirpis, capiet uoluptates, & ducet uxorem nobiliorẽ se. Si uero est sub Sole, negotia eius Venerea occulta erunt.

In alio codice sic habentur.

Si aliqua de domibus Veneris ascendit, & ipsa est in uirgine, cõmittet turpia & nefanda cum mulieribus. Et sic si dominus ascendentis fuerit cum Marte, in coniunctione, oppo-

 sitione

sitione uel quadrato. Quòd si Venus sit in octaua uel septima, semper rixabitur cũ mulieribus. Et sic si dominus ascendentis fuerit contrarius domino septimæ, uel in quadrato, & si coniuncti fuerint, & sit unus receptus ab altero, fit pax inter eos, Si non fuerit receptus, rixabitur & uincet. Et si Venus fuerit in suo honore, & in domo bona ab ascendente, libera à radijs solaribus, habebit multa bona ex parte mulieris. Si est in domo Iouis, uel si Iupiter eam aspicit existentem in bono loco, habebit honorem, lucrum, & bonum, causa mulieris. Si sit Luna crescens, & est in quarta orientali, ducet uxorem in pueritia. Si sit descendens in quarta occidentali, in senectute ducet.

Quod dedimus de Venere iudicium, idem est plane ipsius domini septimi loci. Si autem dominus uigoris non aspicit Venerem, uel dominum domus septimæ, & Luna est sub luce, uxore carebit. Si sit Venus, uel dominus septimę domus in nona, & est fortunatus, dimittet uxorẽ. In genere aũt qualis erit aspectus domini uigoris ad Venerem uel dominũ domus septimæ, talis erit uel amicitia, uel discordia inter coniuges. Si autem sit Venus, & dominus septimę domus in domo firma, habebit unam uxorem, Si in domo mobili multas, Si in signo bicorporeo, duas. Dicit autẽ Doronius, quòd primus dominus triplicitatis septimæ domus, & dominus domus septimæ, habent posse in mulieribus, qui quidem quales fuerint, tales erunt etiam uxores. Si sit Venus occidentalis, & in quarta occidentali, in domo Saturni, aut si eam aspicit Saturnus, uel est in domo quarta, habebit natus uxorem natu grandiorem sese, uel uiduam, Quod si est in domo extranea, in qua ui caret, & sit domina septimi signi, habebit uxorem à remoto loco.

Cæterum in natiuitate mulieris est considerandus Sol, ut Venus in masculi genesi, & sicut Sol fuerit, sic erit eius coniux. Antiqui autem dicunt, quod est considerandus locus

Martis,

Martis in natiuitate mulieris causa uiri, sicut Luna causa mulieris in natiuitate uiri. Porrò in natiuitate fœminæ semper est considerandus, dominus septimæ domus. Ipse enim habet posse in marito. Quare sicut erit aspectus domini septimæ domus, ad dominum uigoris in natiuitate; sic erit inter uxorem. Si est Iupiter in domo septima, uel cum Sole, uel Solem aspiciat, habebit censum & bona ex uiro. Tandem cum duxeris dominum uigoris in natiuitate masculi, deinde dominum uitæ, ad locos malos prædictos, & Venerem, Lunam ac dominum septimæ domus ad locos malos, poteris cognoscere, uter coniugum diutius uicturus sit. Similiter si duxeris in natiuitate mulieris, Solem, Martem, & dominum septimæ domus pro uiro. Hermes autem dicit, sumas partem mulierum à Saturno ad Venerem, & numera eam distantiam à gradu ascendentis.

Sed hactenus de coniugijs, nunc de societate. Si dominus septimæ domus est Iupiter positus in domo secunda, undecima, uel quinta, non retrogradus, nec combustus, nec commixtus cum Marte, uel Saturno, erit puero commodum ex communi. Et si dominus septimæ domus est Mars, uel si est in domo septima socij communes circumuenient ipsum. Idem est iudicium cum Saturnus est in domo septima, uel cauda Draconis ibidem. Quod si dominus septimæ domus est unus de planetis sub Sole, & dominus ascendentis nõ est retrogradus, nec sub luce Solis, nec in domo lapsa uincet suos aduersarios semper. Si uero dominus septimæ domus est unus de planetis supra Solẽ, nec est sub luce Solis, nec est retrogradus, nec in domo lapsa uincetur natus ab inimicis. Si aũt aliquis ex planetis sub Sole est dominus ascendentis signi, & habet uim multam, ut si sit in sua domo, uel in suo honore, uel in angulo, nõ poterit uincere aduersarios sine adminiculo alicuius planetæ supra Solẽ existentis, ut tribuat illi uim suam, uel si sit ipse in ascẽdente, & cũ coniunguntur dñs ascendentis

& domi-

& dominus septimæ domus, potest sciri quis illorum planetarum uincet ex eorum fortitudinibus quas suprà ostendimus in Isagogis.

CAPVT XV. DE ITINERIBVS.

NOna domus significat super itinera longa, scientiam, fidem & somnia. *Si dominus noni signi sit in ascendente*, uel det uim domino *ascendẽtis, contingent puero causæ, quibus cogetur* uolens nolens *longa itinera facere. Qui quidem* dominus, *si fortuna fuerit*, erit nato bene *in profectionibus suis: Si infortuna* male. Si uero dominus ascendẽtis est *in nona*, sponte sua peregrinabitur. Et si dominus ascendentis fuerit in domo domini nonæ domus, odio habebit natus suam patriam. *Si uero* dominus *ascendentis fuerit in* domo sua propria, contra non *exibit* domum suam. Quòd si Saturnus in nona domo *fuerit* semper aduersis in mari tempestatibus uexabitur, & plus si in nona signum aquaticum fuerit. Si uero Mars ibidem fuerit, multa experietur incommoda & *pericula in itineribus terrestribus, & plus si domus illa terrestris fuerit, maxime autem à latronibus. Quod si Saturnus* fuerit in decima domo *infortunatus ex occasione belli in itineribus* adfligetur. Si Mars ibidem infortunabitur ab impuginatione inimicorum, & semper peius erit, si domus illa aquatica fuerit. Quod si in nona domo non fuerit aliquis infortunatus planeta, & *inueneris ibi* Venerem uel Iouem, fortunabitur natus in omni *itinere* suo. Quod si Luna *ibidem infortunabitur*, detrimenta ex *itineribus* decernit. *Si* contra *fortunata* eo in loco *extiterit*, honorabitur semper in suis *peregrinationibus*. Quod si *Sol* sit in nona, in natiuitate Christiani, & Venus in *natali Sarraceni*, & Saturnus in *genitura* Iudæi, significat hominem constantem & perfectum in sua fide, si tamen nulla accedant illorum planetarum detrimẽta aut infortunia.

Quod

Quod si permutati fuerint prædicti religionum significatores peregrinæ religionis in nona domo, significat malam fidem nati. Si uero fuerit Iupiter in natiuitate diurna in nona, & in nocturna in tertia domo, uidebitur esse bonæ fidei cum non sit.

Sapientiam autem pueri à domo prima intelligimus.

Saturnus significat Geometriam, Iupiter fidem, Mars Physicam, Sol Astrologiam, Venus Musicam, Mercurius Grammaticam & Dialecticā. Quòd si dominus uigoris fuerit iunctus Saturno Philosophicorum noticiam decernit. Est quoque Planeta minoris scientiæ Luna, eius est relatio auditorum uel uisorum. Cum iunguntur Saturnus Iupiter & Mercurius, & est aliquis eorum dominus ascendentis uel uigoris, erit sapientiæ plenæ, & plus si sit aliquis eorum in signo anguli ascendentis. Porrò considera etiam partem rectam, quæ est Solis à Luna remotio ab ascendēte proiecta. Quòd si dominus illius partis consideret eam retrogradus in nona, natus deseret fidem suam. Quod si Saturnus fuerit in nona in suo posse, nō retrogradus somnia nati uera sunt, Si uero ibidem fuerit Mars, nunquam somnia eius uera erūt.

CAPVT XVI. DE OPERE, REGNO, & magisterio nati.

DEcima domus significat super matrē, honores, & artes nati. Quare si sit natiuitas diurna, aspice locum Veneris, quæ si est in domo decima septima, uel undecima, nec est sub luce Solis, & aspicit eam aliquis dominorum suæ domus, quæras uitam matris ab annis domini ipsius domus. Si uero Venerem in aliquo locorum prædictorum existentem non aspicit dominus suę domus, uel si aspicit, & est sub luce Solis, quęre uitam matris à Luna. Et si est Luna in aliquo angulo, uel domo aliqua, quæ sit post angulos, & aspiciat ascendentem, re

ſpiciturq; uiciſsim à domino ſui loci, ſumas *uitam matris* ab annis domini eius ſigni, in quo eſt Luna, Et ducas Venerem in die, & Lunam in nocte ad locum ſectionis pro uita matris. Eodem modo debes ducere gradum domus decimæ, & partem matris, quæ eſt ſumpta à Venere ad Lunã in die: nocte econtra & ab aſcendente proiecta. Et hi quatuor loci, quos nominauimus, ſi ſunt fortunati, matribus bonum portendent.

Si Sol *in die fuerit in domo decima*, & *plus ſi in domo* ſua, *uel* honore ſuo, & *dominus uigoris ipſum aſpicit* aſpectu *amicitiæ*, habebit natus honorem & fructum à regibus. Si uero aſpectu oppoſito, uel quadrato, uel ſi dominus uigoris ſit ſub luce Solis adfligetur & turbabitur à regibus.

Si Saturnus eſt in domo decima, prohibebitur honor pueri uſq; ad finem triginta annorum. *Si eſt Iupiter in domo decima uel prima*, honorabitur cauſa fidei, & *erit* fidelis in pecuniæ cuſtodia. Et ſi Iupiter ſit *in domo* decima à domino loci, aut honoris receptus, ab omnibus honorabitur. Si non recipitur, uel eſt retrogradus, odio habebitur. Simile eſt *iudiciũ Veneris, cum eſt in ſigno aſcendẽte, uel domo decima.* Quod ſi *quis horum eſt ſub luce Solis, nec bonum nec malum* ſignificat. Si dominus decimæ tribuit *uim domino uigoris*, & eſt in angulo aliquo honorabitur à rege, cui eſt futurus in obſequio. Si autem dominus uigoris eſt fortunatus, habebit cenſum pro obſequio regi exhibito: Si infortunatus, à rege detrimentum patietur. Et Mars ſignificat in decima domo rixas & minas. Saturnus uero carceres & ferrum. *Si eſt* ſignum aſcendens Piſcis uel Virgo, erit notitia nato à *rege* & fructus, & hoc ex ratione domorum. Tunc enim *unus* planeta dominium occupat tam primi, quam decimi ſigni.

Quæ ſequuntur in alio exemplari erant aſcripta.

Cæterum ſi Aries fuerit aſcendens, & Mars in ſuo honore,

re non tamen sub Sole, habebit honorem in bellis. Si Cancer ascendit & Iupiter ibi fuerit, non tamen sub luce Solis, honorabitur causa religionis. Et si Aries ascendit, & Sol est ibidem Saturno coniunctus, uel contrarius, uel quadratus, uel oppositus honorabitur super omnes parentes suos. Quod si Virgo & Mercurius ibi, honorabitur propter scientiam suam, & erit scriba regis. Quod si Cancer, & Luna in Cancro in suo augmento, *honorabitur inter parentes, & fortunabitur à mulieribus. Si Leo ascenderit, & Sol fuerit in Ariete habens etiam dominium in decima, honorabitur à regno.*

Porrò ante omnia considerandum est in gradu ascendentis, uel domus decimæ, uel Solis in die, uel Lunæ in nocte, si sit in ijs locis aliquod de sideribus primi honoris. Quod si euenerit, honorabitur super omnes, sed tamen turpiter finiet, nisi prohibeant benefici planetæ. Vnum est cor Leonis, & est naturæ Martis & Iouis, & significat honorem ex scientia & fortuna bellica. Aliud est oculus sinister Tauri, qui significat bellicosos, & honoratos in bellis honore regis, uel uexilli. Et sic de corde Scorpij. His addiderunt *sapientes humerum canis, & pedem, & sidus quod extat in polo dextro, caudam Leonis, & lanceam, utranque aquilam cadentem & uolantem, caudam gallinæ, & humerum equi.* Testimonia tamen infirmiora habent, propter magnam latitudinem à Zodiaco seu cinctura. Si Venus fuerit iuncta Ioui, & eorum aliquis habet posse in ascendente, & fuerint orientales & angulares, natus honorabitur multum, de fide & mulieribus.

Quod si dominus ascendentis dederit uim seu fortitudinem suam domino decimæ, & fuerit receptus, natus quæret semper conuersari cum magistratibus. Si uero dominus decimæ dederit uim domino ascendentis, prin-

cipes ac magiſtratus quærent eum. Et ſi dominus aſcendentis fuerit cum Sole, & receptus erit ſemper manebit natus cũ optimatibus & bene fiet ei ab ipſis. Quod ſi non ſit receptus habebunt eum ſemper in uinculis, & id plus manifeſtabitur ſi Scorpius aſcẽdat. Quod ſi Sol fuerit in domo ſeptima, ſemper expaueſcet poteſtates.

Semper autem conſiderandum eſt, quis planeta aſcendat ante Solem, qui non ſit ſub luce Solis, proxime tamen egreſſus è radijs ſolaribus, & conſidera naturam illius planetę & in quibus domibus poteſtatem habeat, & in qua domo potiſsimas habeat dignitates. Item quam domum aſpiciat. Similiter in qua domo ſit. Inde enim cognoſci poteſt quomodo puero honor continget. Si Mars uel Saturnus ſignificat honorem, erit honor laborioſus plenus ſolliciti timoris, quem etiam natus tandem amittet. Et ſi quis horum ſit dominus ſecundæ, acquiret pecuniam cum labore, timore, furto, & ſi erit in ſuo loco receptus, ſua ſponte omnia expendet, ſi non eſt receptus, ui amittet. Quod autem ſupra iudicium de Sole expoſuimus in natiuitate diurna, idem etiam pro Luna in natiuitate nocturna uſurpamus.

Si dominus aſcendentis uel uigoris eſt in ſuo honore, & eſt in aliquo angulo, præ cæteris ſuæ ſtirpis honorabitur. Et ſemper cum inueneris planetam fortunam in ſigno aſcendẽte, uel cum domino aſcendentis, erit nati fortuna grandis & inſignis. Si ſit Iupiter in domo undecima, & eſt rectus, dominiumq́ aſcendentis, aut horæ nataliciæ obtinet, uel triplicitatis primæ in loco Solis in die, & in loco Lunæ in nocte, aut ſi eſt dominus gradus coniunctionis, aut oppoſitionis luminarium, quæ proxime natiuitatem præceſsit, puer erit fortunatus. Si uero ſit Venus domina natiuitatis, & eſt in quinto loco ab horoſcopo, & Iupiter aſpicit illam, erit fortunatiſsimus. Sic erit cum eſt Mercurius in aſcendente, uel cum aſpicit illum aliquis ex planetis fortunatis, Et eſt ſciendum, cum

eſt

est Mercurius cum planeta fortuna significat, fortunam; *Si* cũ infortuna, malum.

Si autem in gradu ascendente, uel in primo gradu decimæ domus, uel in primo gradu domus septimæ, uel in primo gradu domus quartæ, uel cum gradu *Solis in die*, uel Lunæ in nocte *inueneris aliquod sidus firmamenti*, quod sit primi honoris, & *plus* si sit sidus, quod habeat paruam *latitudinem* à *cinctura, etiamsi inueneris omnes planetas in domibus lapsis, uel in* eorum dedecore, *uel in signo* occasus eorum, uel in fortunatos; pertinget tamen ad honorem, ad quem nõ ascendit suus consanguineus. *Si* autem fortunati etiam sunt planetæ, magis ac magis honorabitur.

Quod ad magisterium, artem, seu opus nati attinet, dicunt Astrologi, quòd ex Marte, Mercurio & Venere pueri artes *sciri* possunt. *Et primum* est considerandа natura ascendentis, & eius domini. Deinde & domus sunt considerandæ in quibus sunt prædicti artium significatores, & qui planetarum ascẽdat ante Solem, & similitudo signi in quo est. Quod si nullum planetam inueneris ascendentem ante Solem, non *erit ei, qui sic natus fuerit, ars ulla*.

Porrò ars *Saturni, cum est in signo terrestri, est* de destructione domorum, & si est naturæ ignis de uena metalli inquirenda, Si in signo sui dedecoris, de stercore expurgando & si in signo naturæ aquæ, erit nauta, uel circulator, uel coriorum aptator, Si in signo naturæ aëris, balneator erit. Si in signo sui honoris, uicarius, Si in signo naturæ terræ infortunatus; *erit* cauator terrarum.

Ars Iouis est *iudicare*, & *fidei* prælatio, confidentia *in* commendatione census.

Ars Martis bellum, *incisio*, percussio, *si est in suo* honore primatus *belli*, *si in signo ignis fabrica*. *Si* Venus est cum ipso, dat aurifices. *Si Mercurius est cum ipso* monetarios. Si *est* in signo naturæ terræ, carpentarios, Si in signo sui dedecoris

coris phlebotomatores. Si est in signo humanæ *imaginis* sartores, si in signo naturæ aquaticæ est, significat nauium compositores.

Ars Solis est potestas & imperium super alios.

Ars Veneris canere, saltare, iocari, pingere, & pannos operosos componere.

Ars Mercurij, Magisterium artium, mercatura.

Ars Lunæ *negotiatio & uectura. Etsi autem suprà monuimus Martem, Venerem, & Mercurium esse artium significatores*, Tamen eò ostendimus, etiam *reliquorum naturas, & decreta in magisterijs*, ut si uel iuncti sint, uel aspectu (ut fit) permixti cum tribus illis, perpensa harum stellarum natura facilius & certius de artibus, aut opere nati pronunciare queas.

CAPVT XVII. DE Amicitia.

DOmus undecima significat super amicitia & forma. *Si dominus uigoris sit in domo undecima, uel si dominus undecimæ sit in signo ascendente, natus erit fortunatus in dilectione ab omnibus.*

Si Saturnus est dominus undecimæ, à senibus plus diligetur.

Si autem Mercurius est dominus undecimæ, à pueris plus amabitur.

Quod si signum ascendens est similitudinis *humanæ*, appetet conuersationem hominum. Si est *similitudinis* agrestium animalium, econtra.

Si Aries ascendit, natus habebit amicitiam cũ senibus honoratis. *Si multi planetæ* aspiciunt dominũ ascendentis fœlicibus & amicis radijs *multi* diligẽt eum, qui sic natus fuerit. Et melius, si dominus undecimæ fuerit in signo humanæ similitu-

militudinis. Si dominus ascendentis extiterit in undecima domo, fueritque signum ipsum similitudinis humanæ, quæret natus amicitias omnium hominum. Et si una de domibus Veneris ascendit, nec est Saturnus in contrario ascensu eius signi, ac domini undecimæ domus, aut si aliqua domorum Mercurij ascendit, amabit pueros. Quod si Venus fuerit in ascendente, & melius, si in signo humano, habebit familiaritatem cum omnibus.

Si Venus fuerit cum corde Leonis in tantum amabit mulieres, quòd morietur, & peius si Leo ascendat. Nam Leo habet de membris hominis cor. Porrò secundum naturam planetæ existentis in domo undecima, amabit natus homines. Si enim Iupiter ibi fuerit, amabit clericos siue religiosos, si Saturnus senes, si Mars bellicosos, & sic de cæteris. Quod si una de domibus Iouis ascenderit, & Iupiter consideret ascendens quocunque aspectu, puer semper fit formosus, & sic si fuerit in ascendente cum non ascendit caper. Quod si Iupiter sit retrogradus in domo sexta uel duodecima, paruam habebit formam. Et si pars formæ fuerit sub Sole, uel cum *aliqua infortuna, aut eius coniunctione uel oppositione, fit deformis.*

Dicit autem Ptolemæus, cum sint duę natiuitates hominum, & est *Solis* locus unius in loco Lunæ alterius, & ecõuerso, erit inter ipsos naturalis dilectio. Et si locus Solis unius aspicit locũ Solis alterius, minus se diligent mutuo quàm prædiximus, etsi sit aspectus amicitiæ. Similiter de loco Lunæ. *Si* uero planeta fortuna in uno loco sit in utraque natiuitate, ambo *lucrabuntur* ex causa *ipsius* planetæ. *Si* autem planeta infortunatus sic positus fuerit angustabuntur secundum naturã ipsius planetæ. *Si* pars fortunæ sit in utraque natiuitate in uno loco, alter alteri proderit. *Si* sunt duæ *natiuitates*, & planeta fortunatus unius sit idem cum planeta *infortuna* alterius, cuius est *infortunatus* is nocebit alteri, & bene ei eueniet ab altero.

altero. Si dominus undecimæ sit oppositus ascendenti, uel eius domino, uel in eorum quadrato dextro, uel sinistro, erit semper contentio inter amicos. Si uero aspicit ascendentem gradum, uel eius dominum aspectu amicitiæ ipsum semper diligent inuicem amici.

CAPVT XVIII. DE INIMIcitia uel hostibus.

DVodecima domus significat super inimicitias, carceres & animalia magna. Dicit Ptolomæus, quod in cuius natiuitate sit Aquarius ascendens, multos habebit inimicos, quos ipse sibi parturiet. Huius autem ratio ex domibus trahitur, nam idem est dominus, hoc signo ascendente, duodecimæ ac primæ domus. Item cuius in natiuitate ascendit cancer uel Capricornus, is inimicitiam geret cum fratribus, & in cuius natiuitate Pisces in exortu sunt, eius amici in inimicos conuertantur, In cuius exortu Aries est, hic inimicitias habebit cum extraneis, In cuius Taurus cum fœminis, In cuius Gemini cum omnibus, In cuius Leo cum filijs, In cuius Virgo cum Regibus & magistratibus, In cuius Scorpio cũ uxore. In cuius autem Horoscopo Sagittarius fuerit, is quoq; erga filios simultates exercebit. Si autem dominus duodecimæ domus est iunctus domino ascendentis, & sint ambo in domo quarta, sexta, octaua uel duodecima, & est dominus ascendentis infortunatus, natus in carcerem conijcietur. Et si dominus ascẽdentis est retrogradus, uel sub luce, & est in aliquo angulo, in aspectu domini duodecimæ domus, quadrato uel opposito captiuabitur. Si autem dominum ascendentis aspicit Planeta fortunatus, exibit è captiuitate. Et si dominus duodecimæ fuerit in ascendente, ipse superabit suos inimicos, si uero econtra, habebit infortunia multa ex inimicis. Quod si dominus ascendentis fuerit in domo quarta, & fuerit in illa

signum

signum similitudinis humanæ, fueritque dominus ascendentis in opposito, uel quadrato aspectu domini domus duodecimę, & non fuerit receptus, capietur in captiuitate. Idem erit si fuerit dominus ascendentis in sexta, cum prædictis conditionibus. Quòd si domus fuerit de domibus Saturni, longiorem captiuitatis moram portendit. Hermes considerat partem inimicorum, quæ est remotio Saturni ad Martem in die, & in nocte, econtra addita ascendenti. Considera semper cuiusmodi planeta sit in domo ista, & de natura illius, erunt inimici nati.

Si planeta fortunatus sit in domo duodecima, uel sit eius dominus fortunatus, & aspiciat ascendentem, uel eius dominum aspectu amicitiæ, nato bene erit causa bestiarum. Supra autem ostensum est in Isagogis, quæ sint bestiæ cuiusque planetæ. Si planeta infortuna sit in domo duodecima, uel dominus eius est infortunatus, & ascendentem, uel eius dominum inimico aspectu intuetur, habebit detrimētum ex bestijs, aut ex lapsu ab eis corpus ipsius lædetur. Dixit Dorothius, quôd dominus duodecimæ bestias significat, quæ equitantur, dominus uero sextæ bestias mansuetas & domesticas, ut uaccas, pecudes & canes.

CAPVT XXI. DE QVALItate mortis.

PTolemæus dicit, quòd est considerandus locus sectionis uitæ, & in quo sit signo, & cuius naturę signum sit, & quis planeta locum sectionis aspiciat. Astrologi autem dicūt, si dominus octauæ domus est in signo similitudinis humanæ, & est Mars uel Mercurius, & est in angulo ascendentis, uel in angulo domini ascendentis, morietur ferro ab homine ducto. Si autem in signo igneæ naturæ fuerit, uel est sub luce Solis, morietur igne, Si in signo naturæ aquæ, mors eius ex

aqua calida uel medicina calida erit, si in signo naturæ terræ, morietur saxo. Si Saturnus fuerit in aliquo angulo signi ascendentis, & est dominus septimæ uel octauæ domus, estq; in signo aquatico, aqua morietur. Si in signo naturæ ignis, morietur ex sollicitudine. Si in signo naturæ aëriæ, morietur ex ruina altitudinis, uel præcipitatione, si in signo naturæ terreæ obruet eum paries.

Si autem dominus octauæ est in domo sexta, morietur ex infirmitate. Sic si Iupiter est dominus octauæ domus, nisi Mars Iouem aspiciat, qui aspectus si ex diametro fuerit, morietur manu regis. Cum inter Solem & Venerem habentur gradus 45. estq; Venus domina octauæ domus, significat mortem malam. Quod si sit Venus in Scorpione, significat mortem ex toxico à mulieribus dato. Si in alio signo, significat mortem ex dolore graui. Si inter Mercurium & Solem habetur gradus uiginti quinq;, estq; Mercurius dominus octauæ domus, qui sic natus fuerit, mala morte morietur. Si est in signo similitudinis humanæ, interficietur ab homine, Si in bestiali, à bestia, Si in aquosi animalis signo, à maritimis beluis.

Et dicit Ptolomæus cū Saturnus uel Mars fuerit in Geminis uel Piscibus, & sunt oppositi Soli in die, uel Lunæ in nocte, suntq; in angulo ascendentis, natus morietur suspensione. Et si sit dominus octauæ domus in domo quarta, uel aspicit eam, mors eius erit in domo sua. Sed si est in alia domo quæ non aspicit eam, extra patriam morietur. Et semper debes aspicere Lunam, Nam habet principale significatum in corpore hominis, sicut Sol in anima. Si igitur Luna sit cum Marte in domo quarta, uel in eius oppositione, uel quadratura, ferro morietur. Sic & Mercurius in signo similitudinis humanæ. Si Saturnus uel Mars est dominus septimæ, estq; in opposito, uel quadrato ascendentis, uel eius domini, mors nati erit uel ex præcipitatione ab alto, uel ex

ſubmerſione in profundum. Quod ſi ita in natiuitate inueneris, nec Luna aſpicit aſcendentem, natus occidet ſe ipſum. Si autem Mars uel Saturnus ſit dominus ſeptimæ domus, & eſt in domo octaua cum domino aſcendentis, occidet ex alto. Si uero ſit Sol in domo ſeptima, & cum ipſo dominus aſcendentis, aſpice naturam ſigni, quæ ſi eſt aquoſa morietur in aqua. Si eſt ſignum humanum interficietur ab homine. Si ſignum aſcendentis eſt Aries uel Libra, & ſint domini horum fortunati, morietur ex cogitatione multa. Si ſint infortunati, morietur uel pro uerbo quod dicet, uel ex comeſtione. Hermes quoque dicit, quòd dominus domus mortis cum eſt in domo ſeptima infortunatus, morietur natus ex egeſtu ſanguinis. Et ſi Luna cum Saturno ſit in Scorpione, uel aliquis horum eſt dominus octauæ domus, & Saturnus eſt rectus in ſua uia, & eſt in loco alto circuli parui, morietur ex conſtrictione ſeceſſus. Si idem eſt retrogradus, morietur ex ſolutione. Si eſt Iupiter in domo quarta, bene morietur. Similiter ſi dominus octauæ domus eſt in ſuo honore, & eſt fortunatus, atque aſpicit octauam domum. Quod eſt idem infortunatus in octaua domo, contrarium ſignificabit. Dorothius autem dicit, quòd primus dominus triplicitatis octauę domus, habet ſignificationem mortis, & ex qualitate eius eſſentiæ, qualitas mortis dinoſcitur. Et dominus triplicitatis octauæ ſecundus ſignificat in hæreditate, ex quo poteſt ſciri an habuerit pecuniam à parentibus. Et dominus triplicitatis octauæ ultimus ſignificat indagationem animi.

Si dominus ſecundæ domus eſt coniunctus domino octauæ, uel aſpicit ipſum, uel Iouem, uel Venerem exiſtentes in octaua domo, ditabitur ex mortuis. Et ſi dominus aſcendentis eſt Mercurius, & dat uim Saturno uel Marti, erit ſemper de uita ſolicitus, & male timens.

In alio codice.

Antiqui dixerunt, quòd si fuerit quispiam natus inter coniunctionem & oppositionem, morietur inter oppositionẽ & coniunctionem, & econtra. Atq; hoc in maiori parte contingit. Indi uero considerant totam naturam à domino horæ, in qua natus quispiam sit. Alij uero domini Astronomiæ, cõsiderant idem ab ascendente, & domino eius in illa hora. Et quia dominus primæ horæ & octauæ perpetuo est idem planeta, etiam considerant illum dominum, qui si fuerit in sua aliqua potestate, & non sit in aliena domo, morietur in domo sua. Et sicut fuerit hic dominus, in bono aut malo loco, à Sole & ab ascendente, & in suis circulis, sic morietur natus cum honore, uel contra. Dorothius ait, quòd si Mars uel Saturnus fuerit in domo octaua uel septima sine aspectu fortunæ, significant casum ab alto. Idem est, si dominus octauæ domus fuerit in septima infortunatus. Idem Dorothius inquit, dominus primus triplicitatis octauę domus, innuit super mortem, & qualis fuerit ipsius domus, talis erit mors nati. Secundus uero dominus triplicitatis innuit super timorem, qui planeta si fuerit infortunatus, fit natus timidus. Item si dominus secundæ domus, dederit uim domino octauæ, & fuerit receptus ab ipso, aut sit Iupiter si in domo octaua, & consideret dominum secundæ bono aspectu, habebit multa bona ex hæreditate.

CAPVT XX. DE REVOLVTIONE anni nati.

IAm radicem natiuitatis secundum Philosophorum dicta compleuimus, nec edidimus nisi ea, in quibus sapientes cõuenerunt, & ex quibus experimentum habetur. Nunc adcedemus ad disquisitionem eorum, quæ euenient nato, secundũ

distribu-

distributionem temporum & ætatum. Qua in re primũ inspiciendi sunt domini singularũ ætatum nati, quos Ptolemæus ita distribuit. Primos quatuor nutritionis & infantiæ annos Lunæ assignat. Alios decem pueritiæ annos Mercurio, Alios deinceps octo adolescẽtiæ annos Veneri. Postea 19. iuuenilis ætatis annos Soli dat, Quindecim uero uirilitatis annos Marti, Duodecim porrò senectutis annos Ioui. Deniq; triginta decrepitæ ætatis annos Saturno ascribit. Horũ gubernatorũ ætatum nati positum, ac statũ tam in natiuitate, quã in reuolutionibus singulis (de quibus iam dicemus) diligẽter expendere debemus, quem & fortuna, & qualitates tam corporis, quam animi in nato sequetur. His itaq; præcognitis annorũ reuolutiones cõsiderare debemus. Est autem reuolutio anni, cum Sol est reuersus ad punctum gradus in quo fuit in natiuitate, In quo reditu debes dirigere loca planetarum, & signũ quod finis signum dicitur, cognoscere. Nam primi anni negotia, ex signo natiuitatis cognosci quæunt. Sic ex secundi loci anni secundi negotia iudicantur. Et cum ad duodecim pertingit ipsum dicitur signum finis. Tertij decimi autem anni res ex primo rursus signo æstimantur. Atq; sic expletis duodecim semper recurritur ad primum signum. Vt si sit natiuitas in nouem gradibus æqualibus Arietis negotia primi anni inquiruntur inde usq; ad nouẽ gradus Tauri, & sic per ordinem, cætera cum æqualibus gradibus.

Sic debes aspicere dominum horæ natiuitatis in primo anno. In secundo uero anno erit planeta secundus à domino horæ in natiuitate, in tertio tertius, & sic per ordinem, donec ad septem perueniet annorum numerus, quibus expletis ad primum reditur, Vt si sit dominus horę primi anni Saturnus, secundi anni erit Iupiter, tertij Mars, sic usq; ad Lunam, octaui autem rursus Saturnus erit dominus.

Est etiam considerandus gradus partitionis. Nam datur anno cuiq; gradus unus, cum æqualibus gradibus, & gradi-

bus tabulæ ciuitatis. Eum gradum partitionis à locis duces, quæ sunt, Solis, Lunæ, gradus coniunctionis uel oppositionis quæ proximæ præcesſit natiuitatem, gradus aſcendens, & gradus partis fortunæ. Eſtq; conſiderandus dominus cuiuſq; gradus, & qualiter fuerit in natiuitate & reuolutione. Si quis planeta aſpicit aliquem gradum prædictorum quouis aſpectu, habet plus uirtutis quàm dominus gradus aſpectus. Et poteſt inueniri gradus reuolutionis duobus modis, uno ut aſpicias horam, & punctũ horæ in quo Sol redit ad idem punctũ horæ, in quo in natiuitate fuerit. Alio modo ut aſpicias numerum graduum ſigni aſcendentis in natiuitate, & addas ipſi per annos ſingulos 87. gradus, & ſedecim minuta, & in numero coniuncto ex his quæras, quid inueniatur in tabula regionis tuæ in ipſa linea ex gradibus æqualibus, & cuius ſigni ſint, Ex quo ſciri poteſt gradus reuolutionum. Cæterum ſi ſcire uis diem Hebdomadæ in qua fit reuolutio, hoc ex loco Solis ſciri poteſt, & ſi uis etiam ex ratione abaci, ut percutias annos completos in triginta horas, & aſpicias, quot dies & horæ cõpræhendantur, & poſt percute annos completos in duos gradus, & quadraginta quatuor minuta, & quod compræhendant ex gradibus & minutis, pro quindecim gradibus æqualibus, unam horam rectam accipias, & gradus, & minuta ſuperfluos à quindecim in quatuor percute, quæ computabuntur minuta horæ erunt, quas horas, & quæ minuta minuas ab horis, quæ ex triginta percuſſæ fuerunt, & quæ remanſerint, addas horæ & minutis horæ, quæ ſunt in natiuitate. Quo facto inuenies punctum horæ reuolutionis, & diem Hebdomadis, & ſemper erit reuolutio tot diebus infra menſem, quot prætenti erunt in natiuitate, uel unus dies erit medius.

Volens autem ſcire quot diebus menſis Lunæ fiet reuolutio, percute annos completos in undecim, quibus percuſſis augeas dies expletos menſis Lunæ, cum fuerit natiuitas, quot dies

dies remanserint ex eis per triginta abiectis, tot diebus erit reuolutio. In quauis autem reuolutione considera in qua domo de domibus natiuitatis sint omnes planetæ, & in qua domo ex domibus reuolutionis sit ascendens. Quôd si sit Saturnus in domibus partitionis, uel aspicit ipsam tempore reuolutionis natiuitatis ex opposito uel quadrato, nec planeta fortuna ipsum aspicit, puer ægrotabit ex frigore quartano, & peius, si dominus ascendentis in natiuitate sit infortunatus. Et locus Lunæ est aspiciendus in reuolutione, Habet enim posse in corpore. Quod si Luna sit cũ planeta infortuna, uel cum eius oppositione uel quadrato, & sit dominus uitæ in malo loco, & si puer est prope annos completos, erit mortalis infirmitas. Est & considerandum signum finis, hoc est, aspice, quot planetæ fuerint ibi, uel aspexerint ipsum in natiuitate, uel reuolutione, & da cuique gradui completo, in signo finis duodecim dies & sextam unius, quibus omnibus diebus expletis, planeta ipse incipiet dominari donec alius planeta interueniat qui sit ibi uel aspiciat, qui similiter post operatur. Et si nullus alius interuenerit planeta, usque ad finem anni unus iudicabit. *Vt si exordium anni sit, à tribus gradibus Tauri, & Saturnus sit in octo gradibus eiusdem, uel aspiciat*, percutias *quinque in dies duodecim*, & sextam, & prouenient dies 60. $\frac{5}{6}$. quibus finitis ipse dominabitur, donec planeta, qui aspexerit uel ibi fuerit eodem modo iudicabit, si sit in pluribus gradibus, si enim sit in totidem, ambo simul iudicabunt, usque ad tres gradus geminorum. Quod si nullus planeta sit in eo signo, uel aspiciat, iudicium erit dominorum terminorum signi finis.

CAPVT XXI. DE SIGNIFIcatione planetarum in natiuitatibus, secundum fridarias suas.

Prima

PRima fridaria, si natiuitas in die fuerit, est Solis. Hic iudicat in nato annos decem, & primam septimam, quæ est annus, & menses quinque, & dies quatuor solus iudicat uel significat. Quod si est in natiuitate fortunatus, nutrietur puer in honore & bono, si infortunatus, contra. Septimanam autē cōmuniter aliam Venus significat, tertiam Mercurius, quartam Luna, quintam Saturnus, sextam Iupiter, septimā Mars. Si sit Sol fortunatus ex coniunctione uel aspectu Iouis uel Veneris, prosperitas erit nato ex animo, & ex corpore in cōmunitate Solis cum eis. Quod si infortunatus ab ijsdem, fuerit in natali patietur animo & corpore secundum naturā ipsorum planetarum in communi fridaria.

DE FRIDARIA VENERIS.

SEcunda fridaria est Veneris, quæ habet octo annos, & ipsa sola iudicat primam septimam suæ fridariæ, quæ est annus unus, & mensis ac dies 21. Quod si Venus est in natiuitate in bono loco, puer diligetur à masculis & fœminis, Si uero est infortunata in natiuitate à Marte, angustabitur & diffamabitur ex fornicatione in cōmuni, quam habet cum Marte. Si fuerit infortunata à Saturno, patietur in renibus in cōmuni eius fridaria. Si à Ioue fortunata fuerit, in communi eius fridaria lucrum & bonum habebit.

Si autem Mercurius sit fortunatus cum ipsa in communi eius fridaria natus, subtilis & animosus erit in addiscenda arte, quæ ab natiuitate significatur. Quod si erit idem infortunatus, erit cum omnibus uerbis & operibus confligens in communi eius gubernatione.

DE FRIDARIA MERCVRII.

TErtia fridaria est Mercurij, quæ annos tredecim complectitur, & primam septimam, quæ est annns unus, decem menses

menses & octo dies solus iudicat. Secundum eius statum bonum uel malum in natiuitate, erit etiam status pueri & fortuna in quauis eius fridaria. Nam si in natiuitate fuerit fortunatus à Ioue in tota fridaria ipsa, honor, lucrum, & sanitas puero promittitur, & plus in communi Iouis. In communi autē Saturni, patietur ex frigore, & grauius si in natiuitate ab ipso sit infortunatus Mercurius. In communi Martis fridaria rixas habebit uerborum & actionum, In communi Veneris & Lunæ mulieres appetet, & uel bene, uel male habebit, secundum naturam earum. In communi Solis fridaria, si Sol habuerit uigorem in natiuitate, lucrum habebit, si alius planeta habuerit uigorem, timorem habebit ex magnatibus.

DE FRIDARIA LVNAE.

Qvarta fridaria est Lunæ, quæ habet nouem annos, Cæterum & hæc sola primam suæ fridariæ iudicat septimā, quæ est annus unus, tres menses, dies tredecim. Quòd si sit in natiuitate in bono loco, uel fortuna, honor, salus & bonum in tota fridaria ista contingit, excepta fridaria communi cum Saturno. *Si autem infortunata sit in natiuitate, contraria omnia euenient nato* per totam Lunæ fridariam, excepta communi Solis & Veneris. In communi autem Mercurij magis angustabitur.

DE FRIDARIA SATVRNI.

Qvinta fridaria est Saturni, quæ est undecim annorū, qui solus iudicat primam, septimam eius temporis, quæ est annus unus, menses sex, dies 26. in qua septima natus erit iners, ociosus, repræhensibilis, & redargutus ab omnibus de dementia. In communi Iouis, lucrum, honor, & salus nato proueniet. In communi Martis, infirmitas, contentio, ictus,

& peius, si in natiuitate fuit in eius oppositione, uel quadratura. In communi Veneris ex mulierum usu inequietabitur, & falsitates ei obijcientur. In communi Mercurij infirmitates experietur, & in communi Lunæ similiter.

DE FRIDARIA IOVIS.

SExta fridaria est Iouis, in qua sunt anni duodecim, & hic solus primam septimam iudicat, quæ est annus unus, menses octo, & dies 17. in qua erit nato salus, lucrum, honor, & plus, si Iupiter fuerit dominus uigoris in natiuitate. In communi Solis & Veneris fridaria, adhuc maiora ista erunt.

In communi Martis & Saturni timebit uerba & facta aduersa hominum. In communi Mercurij & Lunæ bonum & salus ei continget.

DE FRIDARIA MARTIS.

SEptima fridaria est Martis, quæ continet annos septem, qui solus iudicat primam septimam, quæ est annus unus, in qua cum consanguineis contentionem natus habebit. In communi Veneris, dolet propter obitum mulieris. In communi Iouis lucrabitur. In communi Lunæ, Mercurij & Saturni infirmabitur animo & corpore.

DE FRIDARIA CAPITIS DRACONIS.

OCtaua fridaria est capitis Draconis, quæ habet annos tres, quòd si est in aliquo angulo in natiuitate, fortuna, & honor continget nato in tota eius fridaria, si est extra angulos, nihil significat.

DE FRIDARIA CAVDAE Draconis.

NOna fridaria est caudæ Draconis, et complectitur annos duos, quæ si est in aliquo angulo mala, & ægritudines natus sentiet in eo tempore, si non est in angulo nihil significat.

Cæterum si uita nati protenditur ultra annos septuaginta quinque, qui numerus est annorum fridariarum omnium planetarum, redit iudicium ad fridariã Solis, & prædicto modo, si oporteret, procederemus in fridarijs.

Quòd si natiuitas est nocturna, incipit iudicium ab fridaria Lunæ cum annis prædictis in primo anno, secundo Saturni fridaria, tertio Iouis, & sic de cæteris per ordinem, & ultimo caput Draconis post Caudam.

CAPVT XXII. QVALITER SCIATVR bonum uel malum nati tempus.

ASpice planetas an sint occidentales, uel orientales à Sole, uel ascendentes & an sint in angulis, uel supra terram, ex quibus hæc, ut in natiuitate diximus, indagantur. Astrologi autem dicũt, quod potest sciri tempus euentus, ex causa signi finis, cum pertingit ad signum cuiusque planetæ signum ipsum finis. Ptolemæus etiam dedit collectioni triginta graduũ æqualium uiginti octo dies, duas horas, & tertiam horæ partẽ, & est exordium illorũ graduum à primo gradu signi finis, quę donatio compręhẽdit tredecim signa in anno quolibet, Signũ autem finis bis in anno significat, primum & decimum, & est ratio experimentata hæc, ut aspicias reuolutionem mensium. Estque reuolutio cuiusque mensis, cum pertingit Sol in quocunque signo sit, ad gradus & minuta graduum alterius signi, quæ totidem sunt cum gradibus, & minutis eius signi, quòd iam Sol in natiuitate percurrit, qua hora in reuolutione mensis,

considera omnes planetas, quomodo sint. Diei autem reuolutio est Solis iter per gradum unum, qui habet sexaginta minuta, siue uadat cito, siue tarde. Et sic est dierum reuolutio usque ad finem mensis. Scies autem horam reuolutionis mensis cuiusque, si sumas à signo ascendente in natiuitate, et à signo reuolutionis & finis, pro quouis gradus duodecim in die quolibet, et aspice aspectus planetarum in natiuitate, & reuolutione anni, mẽsis & diei, ex quo potest sciri euẽtus cuiusuis diei. Astrologi autem dant collectioni quinquaginta nouem minutorum, & octo secundorum diem unum, & est exordium ab anni exordio. Et in annorum reuolutione primo est considerandus dominus triplicitatis, qui habet potestatẽ in ipso tempore reuolutionis, qualiter fuerit in natiuitate & reuolutione anni, & ipsi danda est triplicitas iudicij. Secunda triplicitas est danda gradibus partitionis, quia quinque locis prae assignatis ducti sunt.

Periti huius artis dicunt, quod in anno, quo fuerit quarta domus signum finis, angetur animo iniurijs & contumelijs. Quòd si ibi sit unus ex planetis infortunis à signo ascendente, corpore trucidabitur, & angustias causa suorum parentum patietur. Quòd si planeta fortuna ibi sit, bene ei erit animo & corpore, & fructus capiet ex consanguineis. Totus autem annus in quo est signum finis domus sexta, septima, octaua uel duodecima est malus, & peior si eius dominus est planeta infortuna, uel si planeta infortuna, sit infortunatus in natiuitate uel reuolutione. Si domus septima sit signum finis sitque ibi unus ex planetis fortunis, lętabitur ex mulieribus, & habebit fructus ex communi. Si uero planeta non fortunatus ibi sit, angetur ab inimicis & mulierum causa. Quòd si signum in quo Saturnus fuit in natiuitate sit signum finis, infirmitas orietur ex frigore, & peius, si fuerit Saturnus in quadrato uel oppositione signi ascendentis in natiuitate. Si aũt signũ in quo fuerit Iupiter est signum finis, eius censum filij augebunt.

bunt & bona. Si autem ſignum in quo fuit Mars, eſt ſignum finis eius inimici augētur, & ferro incident nati corpus, uel febri acuta præuenietur, uel ignis combuſtione iuxta naturam ſigni in quo fuerit Mars. Si autem ſignum in quo fuerit Sol, eſt ſignum finis, & fuerit fortunatum, bene eueniet nato, à regibus & parentibus. Si autem ſignum in quo fuerit Venus eſt ſignum finis, bene habebit ex cauſa mulierum & læticiæ. Si autem ſignum in quo fuerit Mercurius, eſt ſignum finis, & fuerit fortunatus creſcet eius ſapientia, & eius bonum, ſi uero infortunatus fuerit dedecus ab omnibus patietur, propter ſuā uecordiam. Si ſignum in quo fuerit Luna fuerit ſignum finis ac fortunatum, animi & corporis uirtus augebitur. Si ſignum in quo fuit caput Draconis fuerit ſignum finis, promittitur nato honor & lucrum. Si autem ſignum in quo fuerit cauda finis ſignum extiterit, omnium bonorum defectus ſignificatur.

Porrò ſi & ſignū aſcendēs eſt in una reuolutione de domibus malis in natiuitate, quę ſunt quarta, ſexta, octaua, ſeptima et duodecima annus erit malus. Et eſt cōſiderādus gradus partitionis ut prędiximus, ſi ipſum aſpicit Venus, animi augebit lætitiā, & cauſa mulierū proſperitatē decernit. Si Saturnus cū ipſa aſpicit, ſignificat animi cruciatum, & fletum pro mulieribus, Si Mars cum ipſa, uoluptatem ſignificat Veneream, ex qua incurret pudorem & turpitudinem. Si autem Iupiter cum ipſa eſt fortis, ſignificat bonum lucrum, Si Mercurius fortunatus, ſignificat incōtinentiam coitus, Si infortunatus, ſignificat contentiones cum mulieribus. Quod ſi ſolus Iupiter gradum partitionis aſpicit, dat lucrum. Si autem Mars uel Saturnus cum ipſo, lucrum amittet. Si Martis & Saturni aſpectus amicitiæ fuerit cum ipſo, ſponte ſua amittet uel multa expenſa aut dono, Si inimicitiæ aſpectus fuerit, nolens amittet raptum à latronibus & furibus. Et ſic iudicium cuiuſq; planetæ erit ſecundum ſuam naturam, gradum partitionis aſpicientis.

Et cum in anni reuolutione sit planeta fortuna in loco, in quo fuit planeta infortuna tempore natiuitatis, malum nati in bonum conuertetur. Et quo anno est signum finis domus Solis & Lunæ iudicium erit dominorum suarum domorum.

Finis libri Secundi.

LIBER TERTIVS DE INTERROGATIONIBVS.

CAPVT PRIMVM.



IAm auxiliante Deo cõpleuimus duas huius artis partes, nunc ad tertiam accedemus, quę est de quæstionibus. Porrò in quauis quæstione principio ipsa domorum distributio consideranda est. Et est sciendum domos firmas significare *in his, quæ erunt in actu & temporibus prolatatis*, & sic de angulis. *Sed prima domus, & decima, breuius tempus significant*, & locus planetarũ, ex proportione Solis, *significat esse in actu* breui, scilicet si ascendant ante Solem, uel si sint directi, aut uniti cum Sole in eodem gradu infra sedecim minuta. Sed signa mobilia significant rem ante futuram actu, ac motionẽ de loco ad locum, & priuationem regni, & spem à timore futuri, quod non erit in actu. *Sic* & domus lapsæ *significant*, ut sexta in infirmitatibus, duodecima in inimicis, in carcere. *Sic* etiam loca planetarum, ex proportione Solis, cum sunt cremati, retrogradi, uel in Solis oppositione. Sed duarum corporum domus, & domus post angulos significant rem futuram semiplene, uel *etiam bis. Sed* undecima & nona significant dilationem & euentum secundum imaginem. Quinta & octaua

dilationem

dilationem, & improuisionem futuri. Sic & loca planetarū, cum sunt occidentales à Sole, uel stant in sua statione, nec est iudicandum, nisi duobus testificantibus.

CAPVT II. QVID IN OMNI quæstione potissimum considerandum sit.

IN omni quæstione est quærendus dominus signi ascendentis, & Lunæ, & suscipe eum potissimum, qui aspicit ascendẽtem. Si ambo aspiciunt, suscipe eum qui habet plus fortitudinis in loco suo ratione domorum, uel respectu Solis, uel suę potestatis. Si ambo pares, incipe à Lunæ domino, & dominum ascendentis cum ea associato. Si uero nullus aspicit, & aliquis eorum dat uim alij planetæ quouis aspectu, qui aspiciat ascendens, ipsum sumas, ex quo bonum uel malum comperitur, & melius si ipse uim habet in ascendente.

Sumens autẽ Lunam ad iudicium, poteris scire rei consumationem ex domino domus suæ, quæ si est in Cancro sua domo, sumas dominũ domus quartæ ab ascendente, cũ est sumptus dominus ascendentis, sic etiam dominus quartæ domus suscipitur. Quod si Luna uel dominus ascendentis (secundũ quod sumitur) dat uim multis, ab eo cui uim dat in remotione finis etiam supplementum rei quæritur. Inscij autem artis, dicunt planetam infortunã, & Saturnũ & Martem mentiri in quęstione. Verũ in quæstione mali infortunæ uerũ significant, boni falsum. Boni uero ac mali in quæstione fortunata, contraria prædictorũ significant. Magistri aut Indi aspiciunt dominũ horæ, sicut nos dominũ ascendentis. Dorothius uero dominũ uigoris, qui habet plus uirtutis in locis quinq;, cuius uerbũ cæteris est uerius. Si dñs ascendentis uel uigoris uel Lunę dat uim dñodomus sextę, uel duodecimæ, significat rem perfectam. Sic etiam significat cum stat in quadrato uel opposito Martis aut Saturni. Et si Mars & Saturnus stat

in an-

in angulo, & habet dominium in aliqua domo angulari, uel post angulari, res multo labore progredietur. Et est semper considerandum, quam uirtutem habeat habitudine dominus domus, qui monstrat in quæstione ad ascendentem & eius dominum.

Domus quoque quæstiones quantitatis uitæ attinet, ut in natiuitate diximus pueri. Si Luna sit coniuncta cum planeta infortunato, uel in eius quadrato uel opposito, aspice quot gradus sint inter eas, & cuique gradui dona annum, si est in signis firmis, uel in angulis, Si in signo duorum corporum, uel post angulos, da menses uel hebdomadas. Si uero fuerit in signo mobili, uel domo lapsa, da dies, quæ noticia ratificabitur, secundum naturam ipsius planetæ, & signi in quo est.

CAPVT III. QVAESTIO DE ALIquo utrum uiuat, an non.

Quod si pro aliquo an uiuat, an non, quæratur, aspice dominum ascendentis, qui si est sub luce Solis, iste de quo quærebatur est mortuus. Et sic, si est idem dominus in domo quarta, sexta, octaua, uel duodecima, & si est infortuna in his duabus postremis. Si non est ibi infortuna patitur uel incarceratur. Si est Luna in signo ascendente dans uim planetæ, qui est in domo quarta, significat illum mortuum esse. Idem erit si uim dederit domino octauæ. Et hoc iudicium Lunæ habet omnis planeta in prima domo existens. Si autem dominus ascendentis est in ascendente, & nulli dat uim, est uiuus adhuc de quo quæritur. Sic etiã cum fuerit in domo septima, nona, decima uel undecima. Si in domo secunda, tertia uel quinta, non iudices bonum uel malum, nisi aspecto testimonio Lunæ, quæ si dat uim planetæ qui est sub terra, significat mortem, Si uero planetæ existenti supra terram, significat illum uiuere.

CAPVT IIII. DE RVMORIBVS utrum ſint ueri an non.

VIde ſi ſignum aſcendens eſt de firmis. Et ſi eſt eius dominus in ſigno firmo uel angulo, uel ſi dat uim planetæ ſic diſpoſito, erit uerum. Sic & teſtimonia Lunæ aſpice. Et duo firma ſigna, ſcilicet Taurus & Leo, ſemper uera ſunt, ſed Aquarius uerius in malo, quàm bono. Scorpio autem in omnibus mendax, ſic etiam eo aſcendẽte. Sic ſignificat Marte exiſtente in aliquo angulo, & peius ſi in domo ſeptima. Quòd ſi Luna dat uim planetæ exiſtenti in domo decima, res erit uera & manifeſta. Si exiſtenti in quarta domo, res erit occulta.

CAPVT V. QVAESTIO DE acquiſitione pecuniæ.

SI quis pro pecunia acquirenda quærit, aſpice dominum ſecundæ domus, qui ſi eſt in ſigno aſcendente, habebit abſque labore. Sic etiam dans uim domino aſcendentis aliunde, ſi eſt in loco planetæ aſpicientis aſcendentem, ſi non, appropinquabit ſed non capiet. Si dominus aſcendentis dat uim domino ſecundæ domus, acquiret cum labore & animi anxietate, qui ſi aſpexerit dominum ſecundæ ex quadrato uel oppoſito, acquiret cum contumelijs uerborum. Luna uero idem habet teſtimonium commune cum domino ſecundæ domus. Eſt etiam conſideranda pars fortunæ, & eius dominus, ſicut dominus ſecundæ domus. Si dominus aſcendentis dat uim planetæ exiſtenti in ſecũda domo, & eſt receptus, quæſtio adimplebitur. Si autem planeta ſecũdæ domus eſt retrogradus à prima ſtatione ad oppoſitionem nihil erit, etſi prope peruenerit ad effectum. Si autem eſt ab oppoſitione ad ſecundam ſtationem, erit bonum, etſi ferè peruenerit ad deſtructionem.

nem. Habet etiam Iupiter magnum testimonium in censu, qui si est in loco aspiciente ascendentem, & si dominus ascendentis uel Luna cum eo coniunctionem uel aspectum habet, res consumabitur.

CAPVT VI. DE ITINERE BREUI.

SI quis quærit de *itinere breui*, an bene *uel male eueniat*, *aspice si sit planeta fortunatus in* domo tertia, uel si sit do*minus tertiæ* domus, & est fortunatus, & aspicit ascendens, bene erit ex itinere, si infortunatus, econtra.

Volens scire quæ ex quatuor partibus sit eligenda ad eundũ aspice, qua parte quartarũ sint fortunati uel infortunati planetæ, ut in Isagogis dictum est, ex quo *sciri potest* conueniens itineri plaga. Periti autem Astrologi uolentes scire, an sint quærentes coniungendi fratribus in itinere, uel nõ aspiciunt dominum ascendentis cum domino tertiæ domus, an sint coniuncti, uel respicientes se mutuo, & tunc uerum est *quod coniungentur. Si dominus tertiæ domus est in ascendente, frater ad ipsum ueniet. Si dominus ascendentis in ter*tia domo, ipse ad fratrem *ibit. Sic Mars est considerandus*, ut dominus tertię, quia ipse habet posse super fratres. Dorothius autem aspicit in hac quæstione dominum quintæ.

CAPVT VII. DE DOMIBVS ET possessionibus emendis.

SI quis quæsiuerit pro domibus hortis, uel *agris* emendis, aspice an planeta situs in domo quarta fortu*na* sit, aspiciatq; Lunam uel dominum ascendentis, cum lucro proficiet, *Si* est infortuna, contra.

De

DE VRBE VEL CASTRO obsessis.

SI quis pro castro uel urbe quærit, an sint capienda uel nõ, comperi signum illius urbis, uel castri in anno cõstructionis eius. Quod si dominus *eius ciuitatis* male se habet, & pro uenerit noticia annorum ciuitatis ad signum, in cuius exordio *fuit infortuna, nec aspicit ipsum* planeta fortunatus, capietur *ciuitas, quòd si fortis fuerit, uel* fortunatus non capietur. Nesciens signum *ciuitatis, sumas quæstionẽ pro urbe,* quod si dominus ascendentis & Luna se male habet, capietur. *Sic* etiam si signum ascendens fuerit infortunatum ex aspectu Saturni uel Martis contrario, uel quadrato, uel si alter horum sit in signo ascendente, aut in domo duodecima, & si eius splendor *sit super gradum* ascendentem, capietur. Quòd si fortunatus sit in ascendente uel in domo, quæ fuit septima, octaua, uel duodecima in eius constitutione, capietur hominibus tamen illesis & incolumibus. Si uero dominus ascendentis est in aliquo angulorum, & est infortunatus capietur, hominibus *interemptis. Si in domo lapsa, & est infortunatus, angustabuntur indigenæ morte & infirmitate. Quòd si in domo tertia uel nona fuerit, fugient multi* ex urbe, Si quis planeta infortunatus est in quouis angulo, inter ciues erit contentio & rixa, & ciuitatem suam dabunt sponte.

Quòd si quærens est facturus bellũ in urbe, aspice pro eo dominum ascendentis, & ascendentem, & pro urbe domum *septimam*, & eius dominum: Quicunque horum male fuerit, *uel* ex crematione, uel si intret domum *sui* dedecoris, uel *incipiat* esse retrogradus, *eius significatio* superabitur. *Si* autem dominus ascendentis *intret domum* septimam, uel dominus domus *septimæ det ei uim*, urbs capietur. *Si sunt mixti* anguli planetis fortunis, & *infortunis*

 ueniunt

uenient utrique suffragia & auxilia, tàm urbi quàm oppugnanti. Semperque Luna est consideranda, an sit fortunata, uel infortunata, quæ si est à domo decima, ad exordium domus quartæ ex parte orientis, suffragium erit quærenti. Si in reliquo medio, urbi.

CAPVT VIII. DE THESAVRO absconDito.

IVniores huius artis Magistri dicunt posse inueniri locum thesauri absconditi, quod ueteres discreti omiserunt. Aiunt enim si in quæstione inueneris unum ex planetis fortunis in quoquam angulo, census re ibi latet unde erat quæstio. Quòd si in angulis est planeta infortunatus, significat ibi fuisse quidem sed extractum esse. Dicunt etiam, si Sol & Luna aspiciunt ascendentem, cito & sine labore inuenietur. Cæterum signa firma significant res subterraneas, mobilia res in tectis. Duorum corporũ res in pariete. Sol significat in loco sibi patenti, Luna prope ianuam, Saturnus in loco fætido & humido, Iupiter in diuino & obsequij loco, Mars in lare ignis, Venus in loco thalami, Mercurius in domus clausura. Considera etiam ubi sint illa testimonia, scilicet in cuius naturæ signis, et in qua quarta unde inueniri potest locus ubi est census. Alchindus dicit quòd est parcienda domus, quam quis censum habere suspicatur in partes duodecim, in modum cincturæ signorũ, & ex latitudine significantis planetæ inueniri posse, an sit à dextro uel sinistro, ex proportione uero quæ est à loco alto circuli parui potest inueniri, quantũ sit sub terra depressus, idem ex remotione, quam habet à principio domus in qua est.

Messahala autem Indorũ in iudicijs solertissimus, dicit posse inueniri, quale sit quod quærens celat, per dominum horæ in colore & significatione, & supra annotauimus colores signifi-

gnificatos à quibuslibet planetis in Isagogis. Aspice etiam quid sit res ex natura domini termini loci Lunæ, & signi in quo est, & ex natura signi ascendentis, & domini eius loci. Et si est ascendens unum ex signis igneis uel aëreis, erit carum. Si unum ex signis aquosis, uel terrenis, erit uile. Si dominus ascendentis est in suo honore, erit carum. *Si in dedecore*, uel occasu econtra. *Si* dominus ascendentis est orientalis à Sole, *erit nouum, Si occidentalis uetus*. Quòd si fortunatus est, *erit integrum, Si infortunatus erit diminutum* uel immundũ. Quod si est in domo firma, erit firmũ. *Si in domo duorũ* corporum, sunt duo uel paria, uel etiam duæ res esse possunt. *Si* in mobili signo erũt diuersæ res, & multa noticia. Semper autem aspiciendus est planeta, qui est in signo ascendente, qui si est Venus, erit muliebre mercimoniũ, si Saturnus est graue *& uile. Si Iupiter* erit graue & carum, uel in diuinos usus electum, Si Mars erit ferrum, & uerius si fuerit in signo naturæ ignis, Si Sol, erit carissimum, ut aurum, uel lapis preciosus, Si Mercurius erit pictum, scriptum uel sculptum. Si Luna & est in suo honore, significat argentum uel cristallum, uel lapidem album.

CAPVT IX. DE MVLIERIBVS prægnantibus.

SI scire uolueris de aliqua utrum sit prægnans uel non, considera si Luna dat uim planetæ, qui est in angulo, uel si dominus ascendentis aut horæ sit in domo quinta, uel si dominus *quintæ*, dat uim domino ascendentis, uel si Luna dat uim dño quintæ domus, uel si ascendens *ipsum* est signum bicorporeũ. Hæc testimonia significant mulierem esse *prægnantẽ*, hoc autem non *iudices nisi habitis duobus* testimonijs prædictorum. *Si* uero Luna dat *uim planetæ*, qui est in domo lapsa, uel signum ascendens est domus mobilis, nec aspiciat do-

 minum

minum ascendentis, nec horæ, nec Luna dominum domus quintę, mulier non est prægnans. Si dominus quintæ domus dat uim planetæ infortunio, qui est in angulo, parturiet fœtũ abortiuum.

Si quis an sit habiturus filios nec ne, quærit, & sit Iupiter in ascendente, uel dominus horæ in quouis angulo, & melius, si dominus horæ sit dominus quintæ domus, nonæ uel undecimæ, aut si dominus ascendentis aspiciat dominum quintæ domus, uel si *dominus quintæ domus est in signo ascendente, uel si Luna ipsi uim suam tribuit, cum habet uim in signo ascendente ipsa* Luna, hæc testimonia filios significant.

Quo autẽ tempore sit habiturus filios tarde ne an cito, potest sciri ex planetis orientalibus uel occidentalibus respectu ascendentis uel Solis. Semperq; in hoc dominum horæ aspice, habet enim plus uirtutis in hoc aspectu quàm cæteri. Si dominus quintæ domus non est iunctus corpore uel radio domino ascendentis, & nec quintæ domus, nec horæ dominus ascendens aspicit, & dat uim planetæ, qui est in domo *sexta uel duodecima, carebit filijs.*

Pro sexu autem filiorum aspice ascendens, & eius dominum, an aspiciat ipsum, qui si non *aspicit, sumas dominum* honoris uel faciei, secundum quod quisq; eorum aspicit ascendens, & domum quintam, quæ est directa secundum latitudinem terræ cum suo domino, Et tunc aspice naturam signi ascendentis, an sit masculinum uel fœmininum, & dominum eius signi in quo est, Sic & quintam domum cum suo domino, & signum in quo est, & dominum horæ, an sit *par uel impar*, Vide etiam naturam domini signi, in quo est *dominus* horæ, & *in* qua quarta orientales uel occidental*es ratio*ne Solis uel ascend*entis* sint singuli significatores, quòd si testimonia masculorum *superant*, erit filius masculus, si fœminarum, erit fœmina.

Caput

CAPVT X. DE INFIRMO utrum liberetur.

SI quis quæsierit pro infirmo, an sit liberandus an non, aspice si dominus ascendentis est in aspectu Veneris in bono loco scilicet, ubi habet potestatem, & si est in angulo non combustus à Sole uel eius luce, & melius si dat uim planetæ fortunæ, & melius si sit in angulo ipso planeta fortuna, & melius si domnus ascendentis recipiatur ab ipso planeta, tum enim cito liberabitur.

Cæterum Luna habet eandem uim cum domino ascendentis. Si autem dominus ascendentis dat uim domino domus octauæ, & est octauæ dominus planeta fortuna à quo dominus ascendentis recipiatur, ad mortem quidem ægrotabit, sed euadet, si uero non recipitur, deficiet æger. Si dominus octauæ domus est infortuna, largiente ei uim domino ascendentis, siue receptus sit, siue non, infirmus succumbet, & peius, si sit dominus domus octauæ in quouis angulo. Si dominus ascendentis est infortunatus à domino domus sextæ, uel duodecimæ, & ipse uel Luna aspicit planetam infortunam in quouis aspectu, & peius sit sint in signis firmis Sol uel Luna, & peius si est planeta infortuna, Saturnus, uel si planeta infortunatus est in cursu tardo, uel retrogradatione ægrotabit infirmus diutissime. Si planeta sit infortunium, qui offendat dominum ascendentis cursu uelox, uel si breui exibit de signo in quo est, & melius si est in mobili signo, uel si aspicit aliquis planeta fortuna ipsum quouis aspectu, cito euadet à morbo, & aspice etiam, quot gradus sint inter supplementum aspectus fortunæ & infortunæ, & singulis gradibus singulos tribue dies. Si habet Luna aspectum cum quouis planeta, da sextum diem isti. Si dominus ascendentis est in domo sexta in egressu

ex ea liberabitur. Sic si dominus domus sextæ est in ascendente in egressu euadet. Planetæ fortunæ in angulis significant bonum: infortunæ malum. Signa duorum corporum significant permutationẽ in aliũ morbum. Si dominus ascendentis habet coniunctionem cum domino domus sextæ, octauæ uel duodecimæ, & est quem aspicit infortuna, & dominus ascendentis est infortunatus ex ea, cum consumabitur aspectus, uel coniunctio, ea hora deficiet æger. Si dominus ascendentis est sub luce Solis, & peius si est in angulo cum pertingit ad cremationem deficiet. Si autem Saturnus uel Iupiter sunt domini ascendentis, & transierunt cremationem Solis, cum sunt orientales liberabitur. Si fuerint occidentales, contra & Mars, si est seiunctus à Sole decem gradibus orientalis liberabitur. Si occidentalis fuerit minus octodecim gradibus à Sole distans, morietur. Cum autem Luna à loco Solis duodecim gradibus distiterit, cũ est occidentalis liberabitur. Si qui planetæ leuium sunt in crematione, cum recti & orientales, sint inuinctura succumbet, quod si graues & occidentales sunt, uel leues, & retrogradi, in uinctura morietur.

Sciens diem, & horam proximam, qua cœpit ægrotare, dirigas Lunam in illa hora, & prospice an sit planeta cum ea coniunctus corporea iunctura, & *melius, si sint in cinctura,* uel sit eorum latitudo proxima ad inuicem, uel si habet in cinctura gradum, qui dicitur similitudo, ut si esset Luna in decẽ gradibus Arietis, aut Libræ, & alius planeta in piscium, uel uirginis uigesimo hęc dicitur coniunctio gradus, eo quòd tantum distat Luna à linea æquinoctiali in suo gradu, quantum alius planeta in alio prædicto loco. Et dicitur alia coniunctio graduũ permutatim, ut cum Luna sit in decima Cancri, alius planeta in uigesimo Sagittarij, Tantus enim est dies, cum Sol est in loco Lunæ, quanta nox est Sole existente in prænominato planetæ loco. *Sic* etiam coniunctio gradus permutari dicitur, cum Luna est in decimo cancri, alio existente in uigesimo

mo geminorum, tunc enim hæ dies & noctes sibi parifican-
tur. Quòd si ea habet coniuncturam, aspice an habeat aspe-
ctum, & considera naturam planetæ cui est iuncta, uel quem
aspicit, itẽ naturam signi in quo est, & qualiter respectus sit
à Sole, & an sit fortuna uel infortuna, & uide quoq; an natura
sit contraria infirmitati, uel infirmitas ipsi naturæ, hinc enim
colligi potest bonum uel malum, quod æger habebit. Postea
dirigas Lunam, ut nonaginta gradibus dimota sit, à tempore
initij morbi, & aspice quis eam planeta aspiciat, uel cui iunga
tur aliqua prædictarum coniunctione. Quòd si planeta ille
sit fortuna, erit ei crisis bona, quòd si infortuna fuerit, contra
ria erit. Quòd si natura infortunatæ sit morbo opposita, malũ
minuet. Quòd si Luna tunc caret prædictis coniunctionibus
& aspectu, & habet coniunctionem uel aspectum cum pla-
neta fortuna dirigas Lunam, ut sit contraria loco in quo fuit,
in ægritudinis exordio, & aspice ut sit cum planetis, ubi si in-
ueneris crisim bonam, aspice sequentem quadratum quo per
tingat, nunc uiginti, nunc uno & uiginti diebus, Item ut eius
cursus sit tum uelox uel tardus. Si ibi quoq; inuenies crisim
bonam, quæras ut in suum locum reuersa sit, qui aspiciant,
cum distat à loco suo primo quadraginta quinque gradibus,
quod semper est in die quarta, & sic prospiciunt quadraginta
quinque ante oppositionem, quod semper est in undecim die
bus. Item in quadraginta quinque gradibus post contrarium
quod fit septendecim diebus, & quadraginta quinque gra-
dibus ante reditum in suum locum, quod fit uigesima quarta
die, quod parum fructus habet. Aspiciunt etiam oculum si-
nistrum Tauri, & cor Scorpionis, si Luna est cum quouis ho
rum siderum, uel etiam cum capite Canis ualidi, dextra tunc
existens, significat bonum. Sinistra uero in quouis horum ni-
hil significat. Si est cum capite diaboli, uel fronte Leonis,
uel cum nube Sagittarij, aut cum sagitta uel humero equi,

eiusq; latitudo sinistra existit, malum significat. Si non habet crisin bonam quoad in suum locum Luna reuersa sit, ægritudo longa erit. Sed aspice locum Solis in exordio ægritudinis & aspice qui planeta eum aspiciat, uel ei iunctus sit aliqua prædictarum coniunctione, ex quo poterit sciri bonum ægri uel contra. Et aspice in proximo quadrato à suo loco contrarium & quadratũ aliud, & deniq; reditum in suum locũ, ut in Luna prædiximus, quod si in nullo horum crisin bonam inueneris, aspice in secundo loco, ut in primo diximus, & hoc quadratum, & cętera cum gradibus æqualibus, & hoc totum ubique experimentatum est.

CAPVT XI. DE CONIVGIO.

SI quis pro uxore habenda quærit, inuenias, si dominus ascendentis habet aliquam ex Lunæ prædictis coniunctionibus uel aspectum cum domino septimæ domus, uel contra dominus septimæ est in tali positu cum domino ascendentis, tunc enim habebit eam, de qua quærit. Si autem planeta aliquis leuium suscipit uim ab uno, & dat alteri eorum, quasi per internuncium coniungentur. Si dominus ascendentis dat uim domino septimæ domus, mulier principatum obtinebit, quæ uis si recipitur in aspectu amicitiæ, amor erit inter eos, si non recipitur, uel est aspectus inimicitiæ erunt discordes. Quôd si dominus septimæ dat uim domino ascendentis, uir mulieri dominabitur. Venus & Luna uim habent in desponsatione, quod si qua earum dat uim domino ascendentis existens in angulo uel loco, unde ascendens aspiciat, tota res consumabitur.

Quæstio ista est uiri; si autem fœmina quęrat, ponas dominum ascendentis, & ascendens pro muliere & septimam, & dominum eius pro uiro & Solem & Martem.

CAPVT XII. DE BELLO.

SI quærens facturus sit bellum, pro ipso quæras dominum ascendentis & ascendens, & septimam domum, & dominum

num eius pro eo, cum quo est conflicturus. In quæstione autẽ quis sit uicturus Astrologi discordati sunt. Quidam enim dicunt primam domũ & eius dominũ debere suscipi pro habente pauciores annos, septimã uero cum suo domino pro ætate maiori, alij domũ primam, & eius dominũ pro inceptore. Septimam aũt & eius dominum pro altero ponunt. Alij uero dicunt Astrologũ ante horam quæstionis eligere in animo, pro quo primã, & pro quo septimam debeat suscipere. Hanc uero postremam rationẽ experimentis cæteris preponimus. Si dominus ascendentis est in domo septima, eius significatio superabitur, Si septimæ dominus est in ascendente, eius significatio succumbet, si stant sub luce Solis, uel in domo lapsa uincetur. Quemcũq; horũ aspicit Sol uel Luna aspectu bono, dans ei uim, is uincet. Et superiores planetæ etiam mediocres meliores sunt fortunatissimis leuibus. Cuius dominus est Luna, is semper uincetur, est enim hęc cęteris sideribus omnibus inferior. Quòd si utriq; domini sint iuncti, aspice quis uincet secundum iudiciũ in Isagogis positum. Vincetur autem semper retrogradus. Si autem unus aspicit alterũ aspectu amicitiæ à bello desistent conciliata pace & concordia. Magistri quoq; Astrologiæ dicunt cum est ascendens Taurus, & est in ipsa Mars dominus septimę, eius significatio uincetur, sed secundum ueritatem ambo patientur. Si ambo domini dant uim planetæ forti reconciliabuntur per homines naturę illius planetæ, ut si est Iupiter, per homines religiosos, Si Venus per luxuriosos, si ambo domini sint sub Sole, ambo timentes à conflictu discedent. Idem eueniet, si sint retrogradi. Si Mars est in quouis angulo quæstionis, erit bellum ualidum, & plus si in signo humanæ similitudinis, & plus si est orientalis à Sole. Venus autem magis potest mitigare malitiam Martis, quam Iupiter in coniunctione uel aspectu. Iupiter uero plus Venere malitiam Saturni corrigit. Sicq; ex proportione eorum euenit. Dicunt enim Martem habere propor-

tionem uiginti, Venerem sedecim, Iouem uiginti quatuo r Saturnum triginta duo, Mars ad Venerem habet totum, & partem, Saturnus ad Iouem similiter, Sol uero octodecim habet, Luna duodecim, Mercurius est ut Venus, & hæc ex proportione harmoniæ musicæ sumpta sunt. Si Mars est in domo sui dedecoris belli finis erit, & plus Marte existente occidentali á Sole, & plus si est in domo lapsa, ex parte signi ascendentis in hora belli incepti. Si uero Saturnus Martem aspicit, dominabitur. Fortuna autem Martem aspiciens, abbreuiat bellum.

Simile est iudicium ad iudicem ire uolentium, nam si dominus decimæ domus dat uim domino domus primæ, iudex iuuabit dominum ascendentis, Si dominus quartę domus dat uim domino septimæ, significatus á septima iuuabitur, & hac in re Sol habet iudicium cum sit regum & potestatū signum.

CAPVT XIII. DE SERVO FVGItiuo, aut re furto ablata.

IN *quæstione domini serui fugitiui uel furti, aspice si dominus septimæ domus dat uim domino ascendētis*, latro sponte redibit cum furto, uel seruus fugiens ad dominum. *Si dominus* septimæ est sub luce Solis, reddet censum ui aut pauore, si dat uim domino ascendentis. Si Sol, uel domus decimæ dominus dat uim domino ascendentis, rex ei subueniet, qui amisit. Si dominus secundæ domus est in ascendente liber á luce Solis, sine labore recuperabit. Sic quoq;, si dat uim domino ascendentis, uel si dominus octauæ domus, dat *uim domino* secundæ, & dominus ascendentis aspicit *utrunq;*, capietur latro cum quærendis, uel alieno furto. Si autem dominus secundæ domus, & dominus septimę sint ambo in angulo, latro cum furto in ambitu urbis uel uici, ubi est factum cōcluditur. Si Luna dat uim Soli, uel domino ascendentis, significat furtum

tum inueniendum. Si dominus secundæ domus dat uim domino ascendentis, & dominus ascendentis est in domo lapsa, non inuenietur, Sic etiam si dominus octauæ domus est in ascendente, & dominus secundæ in octaua, Similiter domino octauæ domus uim tribuente domino septimæ. Si uero dominus secundæ domus dat uim domino tertiæ uel nonæ, latro est egressus de ciuitate nocte, qua fecit furtũ. Si Luna dat uim domino septimæ domus, uel dominus septimę est digressus à coniunctione uel aspectu domini ascendentis, latro uel furtum non inuenietur. Si dominus secundæ domus dat uim domino decimæ domus, fur habet cum rege conuentum. Sic domino secundæ domus dante uim domino decimæ, quæ recipiatur. Si uero dominus secundæ dat uim domino tertiæ uel nonæ domus, uel planetis qui sunt in his domibus, fur est egressus nunquam reperiendus. Si dominus septimæ domus & dominus ascendentis dat uim planetæ, qui sit in angulo quouis, & melius si in medio cœli fur capietur. Si dominus septimæ sub luce Solis est, fur à rege capietur.

CAPVT XIIII. VTRVM FVR SIT *masculus uel fœmina.*

ASpice dominum septimæ & planetã, qui est in ascendente & cuius sexus sit ipse & signum in quo est, & in qua quarta respectu Solis & ascendentis, ex his comperitur, quod quæritur. Si dominus septimæ domus habet uim in ascendente signo, latro est consanguineus domini, cui furtum ablatum est.

CAPVT XV. DE SERVO fugitiuo.

SI quis quęrit pro seruo qui fugerit, aſpice dominum aſcendentis, qui ſi eſt retrogradus, uel dat uim retrogrado planetæ redibit, ſponte ſua fugitiuus. Si autem planeta infortuna ſit, capietur. Sic ſi dat uim domino ſeptimæ, octauæ, duodecimæ uel ſextæ.

Si dominus domus aſcendentis dat uim domino ſeptimæ domus, redibit ſponte. Sic ſi Luna uel aliquis alius planeta dat uim domino aſcendentis, fugitiuus inuenietur. Aſpectus Solis uel Lunæ iuuat inuenire. Si dominus aſcendentis, dat uim planetæ fortunæ, uel dominus ſeptimæ eſt ſeiunctus à coniunctione, uel aſpectu domini aſcendentis, uel planeta, ac cuius aſpectu Luna eſt ſeiuncta, nec aſpicit uel adiungitur illi planetæ, cui Luna dat uim, non inuenietur, qui fugiјt. Si Luna eſt ſub luce Solis, morietur fugiens breui, nec capietur.

CAPVT XVI. DE LOCO fugitiuo.

ASpice cui planetæ Luna dat uim, qui ſi eſt à domo prima ad quartam, uel in quarta huic contraria, fugiens eſt ex patria extorris. Si qua uero aliarum quartarum planetam receperit, fugitiuus eſt prope locum unde fugiјt. Quòd ſi Luna dat uim planetæ infortunæ, eſtq́ recepta, uel infortunatus eſt receptus in loco Lunæ, fugiens eſt apud aliquem conſanguineum, à quo reducetur. Quòd ſi planeta ille infortuna non eſt in ſuo loco receptus, uel recipit Lunam, fugiens eſt inter extraneos, & ſeruos inopes. Sic eſt iudicium, ſi planeta qui recipit Lunam, eſt dominus ſextæ uel duodecimæ domus, capietur ab inopibus, & domino reſtituetur. Si planeta cui dat uim Luna eſt tardus in ſuo itinere, tarde inuenietur. Si uelox, cito, & aſpice quot ſint gradus à domino aſcendentis, ad dominum ſeptimæ domus, uel à Luna ad planetam infortunam

quem

quem aſpicit, & numera pro quouis gradu diem uel menſem, ſecundum quod eſt in ſigno firmo, uel mobili, uel in angulo, Et aſpice conſumationem coniunctionis, uel aſpectus domini aſcendentis cum domino ſeptimæ domus, uel econuerſo, uel dominus ſeptimæ intret aſcendens.

In alio exemplari eſt cum domino ſextæ vel nonæ; vel dominus ſextæ intret aſcendens.

CAPVT XVII. DE ITINERE.

IN quæſtione quærentis de ſuo itinere, ſi dominus aſcendentis eſt in domo nona, uel tertia, perficiet iter. Sic ſi dominus nonæ eſt in aſcendente, aut ſi dominus aſcendentis habet iuncturam, uel aſpectum cum domino nonæ, Quod ſi eſt aſpectus amicitiæ, iter eius pro ipſius arbitrio erit, Si inimicitiæ, eueniet cum contentione & labore. Si dominus nonæ eſt planeta fortunatus, lucrabitur. Si infortunatus, erit ei detrimentum, & etiam patietur. Mars in nona domo ſignificat occurrentes latrones, & magis ſi eſt in ſigno ſimilitudinis humanæ. Saturnus ſignificat infirmitatem, ſi eſt in uia terræ, ſi in mari tempeſtate. Et peius ſi eſt in ſigno naturæ aquę, & ſi eſt in domo decima. Similiter ſi planeta fortuna ſit in domo ſeptima, anguſtabitur ab ea, ad quam ibit patriam, prout erit natura ipſius planetæ & poteſtas, quam habet ex parte domorum. Et eſt conſiderandus dominus horæ, an ſit planeta fortuna uel contra, aut in quarta dextra uel ſiniſtra, ſignificat enim non poſſe egredi patriã. Sic ſi dominus aſcendentis, uel nonæ domus eſt retrogradus, uel datuim retrogrado, aut planetæ qui ſit in aliquo prædictarum domorum orientalis. Occidentalis autem ſignificat iter futurum. Sic domino aſcendentis de uno ſigno ad aliud tranſeunte, uel in fine termini exiſtente, uel ſi eſt in ſigno, in quo poteſtatem nõ habet. Si autem dñs aſcendentis eſt infortunatus in domo ſexta

uel duodecima ægrotabit, præsertim si signum in quo est fuerit ex signis infirmitatem significantibus, Si uero fuerit in signo humanæ similitudinis, incarcerabitur. Locus autem Lunæ est aspiciendus, & quis planeta fortuna uel infortuna eam intueatur, quod si nullus planeta eam aspexerit, iter eius erit cassum.

CAPVT XVIII. VTRVM QVIS HAbiturus sit dominium uel non.

SI quis quærit an sit habiturus potestatem an non, aspice si dominus ascendentis habet coniunctionem uel aspectum cum domino decimæ domus, & si est receptus, & est dominus decimę in quouis angulo, uel in domo undecima, uel quinta, tunc habebit potestatem. Similiter si dominus decimæ est in ascendente. Si dominus decimæ dat uim domino ascendentis, erit regi necessarius, qui dominus decimę, si planeta est fortuna uel fortunatus, fructum capiet ex eo. Si dominus ascendentis est sub luce Solis, & Sol est in domo decima uel undecima, *uel ascendente, uel quinta, estq; receptus à Sole*, amorem, honorem, fructum habebit ex eo, si non est *receptus*, habebit dominium cum timore absq; damno. *Si autem* Sol est in domo septima, octaua, duodecima uel sexta, & dominus ascendentis, sub eius luce constitutus non receptus, dominium habebit, sed paulò post dedecus, carcerem, ictus, mortis formidinem. Si recipitur minus patietur.

CAPVT XIX. DE DVRATIONE dominij.

SI quis an *sit in* suo *dominatu* perseueraturus quærit, aspice si dominus decimæ domus est in quouis angulo, & melius si est in domo firma durabit, & *melius* si est cum planeta fortuna

tuna in coniunctione uel aspectu. Quod si est in domo anguli uel firma cum planeta infortuna, deijcietur cum omni ignominia. Huius causa mali potest sciri ex natura illius planetæ & domorum in quibus habet posse. Si dominus decimæ est in nona domo uel tertia, iam ferè priuatus est, & domus decima est eligenda non secundum notitiam signorum, sed secundum latitudinem. Si Sol est in loco bono ex parte signi ascendentis, uel aspicit ascendens amicitiæ aspectu, dominium Soli dabitur. Si ex loco malo aspectum habeat malũ ad ascendens, aut ad dominum ascendentis econtra. Si planeta fortuna est in angulo bonum; infortuna uero malum significat. Mars in duodecima in die peius, Saturnus in nocte.

CAPVT XX. DE VRBE VEL homine, utrum rebelles fiant.

ASpice si dominus ascendentis habet aspectum malum cum domino domus decimæ, tunc enim subditi regi insurgent. Quis uincet comperies ex domino ascendentis, & decima, ut in septima domo est dictum, sic est considerandus aspectus Solis, ad dominum ascendentis. Quòd si Sol uel dominus decimæ habet bonum aspectum cum domino ascendentis, mutua erit inter regem & subditos amicitia. Si dominus ascendentis est in domo quarta ciues regem ad suam uoluntatem flectent; sin dominus decimæ est in septima, rex ciues. Si dominus ascendentis est sub luce Solis, eius causa inquietabitur, peius si Sol est in loco malo, uel in domo septima, si tamen accedit receptio, malum remittetur paulisper. Aspice etiam Lunam, ut dominum ascendentis, ipsa enim significat in uiris regi subditis.

CAPVT XXI. DE AMICITIA.

SI dominum undecimæ domus inueneris aſpicere dominum aſcendentis amicitiæ aſpectu, uel ſi quis eorum aſpicit aſcendens, uel ſi ambo coniuncti ſunt, uel ſi eſt dominus aſcendentis receptus, inueniet amicitiam fructiferam quidem ſi quis horum fortunatus fuerit, infœlicem uero ſi infortunatus.

CAPVT XXII. DE EVENTV negocij.

ASpice ſi dominus undecimæ eſt in aſcendente, proſper erit euentus, & negocium propoſitum conſumabitur. Sic aſpice ubi ſit pars fortunæ, & eius dominus, & quis planeta ipſam aſpiciat. Quod ſi eius partis dominus eſt in quouis angulo, & melius in prima uel decima, proſperabitur quæſtio, & hoc eſt uerum, cum dominus partis eam aſpicit, ſi non aſpicit, nihil ſignificat ubicunque fuerit. Sunt etiam qui aſpiciunt commune ex hac domo, ſed rectius ex ſeptima, qua quæſtione ſi dominus ſeptimæ domus, & primæ habent coniunctionem uel aſpectum inter ſe, bonum commune proficiet & creſcet: ſi non econtra. Si quis horum eſt fortunatus bonum portendit ex ſocietate, ſi infortunatus contra, Si Mars dominus ſeptimæ ſocij communis circumuenient eum.

In alio codice hæc ſignificata ad quartā referuntur

CAPVT XXIII. DE uenditione.

ASpice ut in communi ſocietate, et ſi quis planeta dat uim alteri horum ſuſcipiens ab altero, aliquid per mediatorem uendet. Sic ſi Luna habet uim ullam in aſcendente, uide à quo planeta ſit diſiuncta coniunctione uel aſpectu, & cui planetæ tribuat uim, Quod ſi eandē reſpicit is cui uim dat & à quo eſt diſiuncta uendet, ſi non contra.

Caput

CAPVT XXIIII. VTRVM MERCImonium sit uendendum.

SI dominus ascendentis est in aliquo angulo tarde uendetur, sic existente planeta infortuna in angulo, uel in loco carente ui. Si fuerit in ascendente, uendet sua sponte, si in septima affectu emptoris. Si in ascendente sit planeta, qui habeat amicitiam cum eo, significat detrimentum in uenditione. Si dominus ascendentis dat uim domino secundæ domus, uel etiam econuerso significat uendendum secundum arbitrium sumentis.

CAPVT XXV. DE AMICO ABsente utrum reuertatur.

EX hac domo undecima concipiunt etiam an cito uel tarde amicus absens, de quo quæritur, sit reuersurus. Sed rectius est, ut aspicias ascendens. Quòd si Lunam in quouis angulo inueneris, uel dat Luna uim uel ascendentis dominus planetæ, qui sit in ascendente uel decima domo, redibit cito. Sic etiam Luna dante uim domino ascendentis, in ipso statim recurret. Signa mobilia significant reditum breuem, firma tardum, bicorporea mediocrem. Vide etiam quot gradus sint inter Lunam, & dominum ascendentis, & planetam qui in angulo est, cui dat uim ut prædiximus. Si dominus horæ est in decima, significat horarum distantiã, si in ascendente dies, si in septima menses, si in quarta annos. Si dominus ascendentis est retrogradus, aut si non aspicit ascendens tardus erit reditus. Si dominus ascendentis dat uim planetæ qui est in nona uel tertia domo, uel si Luna dat uim planetæ, qui est dominus septimæ, uel si dat uim domino ascendentis in septima existenti, tarde reuersurus est.

CAPVT XXVI. DE INCARCERATIS.

COnsidera ascendẽs eiusq; dominum si inueneris in quouis angulo, & peius si in quarta, tardabitur liberatio. Sic etiam Luna existente in quouis angulo, & peius, si dominus duodecimæ est coniunctus cum ea, uel aspicit, uel etiam si sextæ domus dominus uel octauæ cum domino ascendentis coniunctionem uel aspectum habeat. *Cum est infortunatus dominus ascendentis, deficiet captiuus in carcere. Si Luna dat uim domino ascendentis*, tarde liberabitur. Sic si ascendens est de signis firmis. Similiter si Luna tarda est in eundo. Mobilia uero signa significant cito euasurum, & si Luna sit uelox in eundo, uel tribuat uim domino tertiæ uel nonæ, aut iuncta sit do mino ascendentis, & sit uelox, & *melius si habeat* aspectum cum domino tertiæ uel nonæ, & si ipse dominus tertiæ uel nonæ sit in ipsa domo est melius, uel si dat uim planetæ, qui sit in aliqua harũ, nona uel tertia, uel si dominus ascendentis, uelox est in quarta, quæ est ab ascendente ad quartam domum, uel in quarta *huic contraria, & melius, si est infortunatus.*

In alio exemplari est Si est ibi fortunatus.

FINIT LIBER TERTIVS de quæstionibus.

Incipit

INCIPIT LIBER QVARTVS DE ELEctionibus.



LEctio duobus modis fit, uno cum *scitur natiuitas*, *alio cum nescitur*. Cum sciueris natiuitatem, *ne eligas pro ascendente signum* in quo tempore natiuitatis *fuit planeta infortuna*. Quod si bonitas signi cogit ipsum eligere, quod eo melius non inueniatur, uel si sit ibi planeta infortuna, minus quindecim gradibus addas, gradus lucis ipsius planetę, et ubi domus sit exordiũ ipsos gradus lucis planetæ infortunæ fugias.

Electurus horam eundi ad regem, facias ascendens de domo decima in natiuitate, & melius si domus ipsa sit fortunata, & eius dominus aspiciat dominũ ascendentis amicitiæ aspectu, uel est ei coniunctus. Si autem causa mercandi electionẽ quæris, fac ascendens domum undecimam, pro uxore autem ducenda septimã, pro medela sumenda *ascendens*, *uel quintum* uel undecimum *signum natiuitatis*.

In medela autem sumenda, *caue* ne *sit* ascendens sextũ octauum uel duodecimum signum, si fuerit in natiuitate planeta infortunatus in eis, Et time tempus eligere in quo sit dominus natiuitatis infortunatus, uel retrogradus, uel sub luce *Solis*. Quod si sic in natiuitate fuerit, & si ex natiuitate, uel reuolutione tempus detrimenti immineat, tunc non eligas. Electio *enim* non tollit malum, etsi remittat.

CAPVT I. DE GENERALI electione.

SEmper in electione aspice locum *Lunæ*, & caue ne sit in quouis loco, *ubi* planeta infortuna fuit in natiuitate, uel

in contrario uel quadrato. Sed in domo aliqua bona sit in natiuitate. Necessitate uero cogente, facias ascendens in electione, ut sit Luna in domo lapsa, & melius ut Luna non habeat uim in ascendente, & melius ut sit ascendens, Leo, Sagittarius, uel Aquarius.

Nesciens autem natiuitatē, aspice planetam naturæ rei futuræ, quem directum in loco forti ponas in electione, & etiam planetam quem suspicaris in eo habere *uigorem*, cuius causa *eligis*, & Lunā & *dominum horæ in* loco bono. Porro *signa recta in electione peiora sunt*. Torta siue obliqua, signa, quorum domini sunt eiusdem naturæ cum re quæsita sunt meliora pro rei firmitate, ut ædificij, mobilia econtra. Duorum uero corporum signa potes eligere, ut sit bis bona electio, uel etiam pro interpellatis, & Luna sub luce Solis existente, nihil facere conuenit, nisi in *occultis operibus*.

CAPVT II. DE MINVTIONE SANGUINIS.

A*Spice ne sit Luna in Geminis, sed fac ut in* aspectu trino uel sextili *Martis* sit. *Verum ne sit coniuncta ei* quauis prædictarum coniunctione, nec in aspectu eiusdem contrario uel quadrato. Simile est iudicium de Saturno, & omni alio aspectu ac coniunctione eius, nec sit Luna sub luce Solis, uel in contrario uel quadrato aspectu, ponasq; naturam in signo Lunæ conuenientē naturæ hominis minuentis. Imminente autem necessitate, sit Luna in lapsa ab *ascendente*. Ptolomæus uero ait, membrum non esse *ferro tangendum*, Luna existente in signo, quod habet illud *membrum*, ut est in *Isagogis* assignatum. Sic Luna in Leone existente, non est induendum *nouum uestimentum*.

Caput

CAPVT II. DE ACCIPIENDIS purgationibus.

CAue ne sit Luna in aspectu, uel coniunctione Veneris aut Iouis. Si autem in aspectu trino uel sextili Martis fuerit, nihil obest. Sed melius tamẽ nullo planeta eã aspiciente, & melius percurrente Luna tertium gradum Scorpionis, uel si sit in Cancro uel Piscibus. Et aspice ne det Luna uim planetę retrogrado, uel supra terram existenti. Nequiens autem præstolari expecta dum planeta, cui Luna uim dat, sit sub terra, ex parte signi ascendentis. Sed uolens inducias eligendi habere, fac ut sit Luna in domo Saturni uel Mercurij, cum aspectu Mercurij trino uel sextili, uel coniunctione aliqua prædictarum, ita tamen ut non sit Mercurius retrogradus, uel infortunatus, uel cum Sole, uel cum planeta infortuna, & melius, ut sit ascendens aliqua de domibus Mercurij, & melius si aspicit ipse eam.

CAPVT IIII. DE EMPTIONE causa lucri.

VOlens causa durandi aliquid emere, emas cum Luna fuerit in parte magna circuli, quæ pars dicitur Solis, & est à capite Cancri ad finem Sagittarij, & melius si sit uelox, nec sit iuncta planetæ infortunæ, uel eius aspectui, & melius ea existente in coniunctione, uel aspectu fortunæ planetæ, uel in aspectu Solis trino uel sextili. Caueas autem ne sit sub luce Solis, & melius ut dominus ascendentis det uim planetæ, qui est in decima uel undecima, & si recipiens uim non est retrogradus. Si sit Iupiter in ascendente, quarta, decima, undecima, uel secũda bonũ est, Aspice etiã, ut sit pars fortunę in bona do-

na do-

na domo, & melius, ut dominus partis eam aspiciat, uel Sol aut Luna.

CAPVT V. DE ITINERE breui.

VOlens *iter* propinquum facere, uide ut planeta fortunatus aspiciat domum tertiam, uel eius dominum, ita ut ibi non sit malus, uel *eius malus aspectus, si est Luna in tertia*, bonum est *sine Sole. Et si dominus ascendentis* est *in* coniun-*ctione, uel aspectu* bono *domini tertiæ* domus, & est ab eo receptus, bonum est. Cancer, Leo, Capricornus mala sunt signa pro itinere breui. Luna existente in ascendente, uel quarta domo in omni electione malum, & Sol in prima domo malus, nisi in Ariete & Leone. Item in Scorpione est bonus in electione dominij. In omnibus porrò elect*ionibus* cauẽdum est, ne sit Luna in uia combusta, nec sit ascendens ea pars, quę est à nouendecim gradibus libræ, ad tertium Scorpionis, nec sit eadem cum suo capite Draconis uel Cauda. Non autem obest, si sit prætergressa 6. gradibus caput Draconis, & duo*decim gradibus caudæ coniunctionem.*

CAPVT VI. DE AEDIFICAtione domorum.

SIt ascendens signum firmũ, nec Mars aspiciat illud. *Sitq;* Saturnus in domo bona, & melius ut Luna aspiciat Saturnum aspectu amicitiæ. Ponasq; signi ascendentis *dominum* in ipso ascendente, uel decima, aut det uim *planetæ*, qui sit in *eis*, & Luna sit in loco bono, uadens à *coniunctione*, ad oppositionem Solis. Sic quoq; facies cum arborem plantare *uolueris*.

Caput

CAPVT VII. PRO SEMINATIONE.

IN seminando sit ascendens mobile, & sit Luna in lucis incremento & det uim planetæ fortunæ, qui sit supra terram, Taurus & Virgo bona sunt signa pro seminibus iaciendis, cum sunt eorum domini in bono loco.

CAPVT VIII. PRO INQVISItione rei occultæ.

VOlens aliquid occulto inquirere, ponas dominum ascendentis in loco ubi det uim planetæ in decima uel undecima, & ut Luna det uim planetæ, qui sit sub terra, & dominus horæ sit Iupiter nō retrogradus, nec infortunatus, nec sub Sole. Caue ne Saturnus sit in quouis angulo, nec dominus horę.

CAPVT IX. PRO CONCEPTIOne filij masculi.

SIt Iupiter in quouis angulo, & una quartarum, quæ dicuntur dextræ uel sinistræ, uel sit Soli orientalis. Sit dominus horæ masculus, sitq; hora impar, & melius ut sit ascēdens masculinum, & eius dominus. Si est Luna fortunata à Ioue melius, si à Venere pro fœmina, sicut etiam signa fœminina, & horæ pares pro fœmina, & sit Iupiter in quauis quarta orientali uel occidentali.

CAPVT X. PRO EMPTIONE serui uel ancillæ.

SEruum aut ancillam emere uolens, prouide ne sit Luna infortunata, nec in Ariete uel Scorpione, nam fugiet. Si sit in Leone immoderatus uorator & arrogās erit. Si in domo Ve-

neris, uel Mercurij Luna fuerit bonum est, siue etiam in Aquario, Si est Luna in sua domo uel Iouis mediocris erit. Si hora emendi dominus ascendentis dat uim domino decimæ domus, erit bonum. Si Luna uel dominus ascendentis uel decimæ est fortunatus, melius.

CAPVT XI. PRO ITINERE ad bellum.

ELigas signum cuius dominus est ex superioribus planetis, uel signum Cancri, cum ibi est Iupiter Soli orientalis, sitq; Saturnus retrogradus, uel in domo lapsa. Semper bonus Leo, cum est Sol in ipso, nec malus planeta ipsum spectat, uel si est signum ascendens in paucis gradibus Leonis, & est Sol in decima domo, uel in Tauro, uel in Geminis, si sit Saturnus retrogradus, uel in domo lapsa. Si planeta infortuna est in ascendente, ipse quærens patietur. Si in septima aduersarij. Si planeta retrogradus est in ascendente, quęrens fugiet, si in septimo, aduersarius fugabitur. Eligasq; horam, qua Luna sit coniuncta coniunctione uel aspectu bono, planetæ fortunæ, uel qui sit in angulo, & ipse det uim planetæ infortunæ, uel in domo lapsa cadenti, quod si nequiueris, Luna nulli uim communicet. Taurus non est bonus pro bello, nisi sit Venus in Aquario uel Piscibus orientalis à Sole, & sit Mars in Ariete à Sole combustus. Sit cum uenere, uel in Virgine Luna. Libra non bona est pro bello, nisi sit Venus in Leone occidentalis à Sole, & Mars in Cancro à Sole combustus, & sit cum Venere Luna, uel in Ariete, & det uim Veneri. Scorpio bonus est si ibi inuenitur Venus uel Luna, & est Mars in aliqua domo bona, non retrogradus, aut sub Sole, aut infortunatus. Sagittarius bonus est, si sit ibi Mercurius uel Iupiter in decimo, uel undecimo signo ab ascendente. Capricornus bonus est, si fuerint ibi uel Mars uel Saturnus Soli orientales,

tales, & Luna eis coniuncta, & melius si est Saturnus uel Mars fortunatus.

Aquarius bonus est si ibi reperitur Sol, & dat uim Saturno existenti in domo bona. Boni sunt Pisces, si ibi est Mercurius cum Ioue uel Venere, uel Iupiter in Sagittario.

CAPVT XII. PRO BELLO naauali.

SI sit nauale bellum, prouide ne sit dominus horæ Saturnus patietur enim in mari. *Si in uno angulorum Luna in Piscibus*, mala est ex parte maris, Si ascendens sit ex signis aquæ, melius quod inuenimus, ut in terrestri bello docuimus, sic in æquoreo confirmamus, nisi quod timore maris abijciendum est signum ignis.

CAPVT XIII. PRO VXORE ducenda.

PRo uxore ducenda ponas Venerem in ascendente in undecima uel quinta, ita quòd in undecima & quinta non sit Virgo, & Luna sit cum Venere, uel aspiciat aspectu amicitię. Caue ne sit Luna uel Venus in domo septima, sed dominus septimæ sit in ascendente, uel sit iunctus domino ascendentis uel aspiciat ipsum aspectu bono. Caue ne sit Luna nec Venus coniuncta cum planeta infortuna, uel cum eius inimico aspectu.

Volens autem scire utrum uir aut mulier sit prostituta in coniunctione coitus prima. Aspice pro uiro dominũ ascendentis, pro uxore dominum septimæ.

CAPVT XIIII. PRO INVEniendo fugitiuo.

PRO INVENIENDO FVGITIVO.

POnas dominum ſeptimæ domus uel octauæ in aſcendente, uel cuiuslibet earum dominus det uim domino aſcendentis. Hoc ſi nequiueris dominum ſeptimæ facias eſſe crematũ, uel ſit cum planeta infortuna in coniunctione uel aſpectu.

CAPVT XV. PRO ITINERE.

VOlens iter terreſtre facere, ne ſit Mars *in nona uel tertia*, uel earum aſpectu *malo. Si autem eſt fortuna ibidem nihil* obeſt. *Si planeta ibidem eſt fortuna*, bonum eſt, nec exeas in hora *Saturni* uel Martis. Si autem Mars eſt fortunatus nec eſt in ſeptima domo, eius hora bona ad iter belli. Marte in ſeptima domo exiſtente in egreſſu ad quodlibet negocium, quocunq; exiens peruenerit rixis inquietabitur. Saturno autem ſic poſito infirmitate affligetur. *Si uero planeta fortuna* eſt in ſeptima, bene ei continget. Aſpice planetam naturæ eiuſdem rei pro qua itur, & fac ut ipſe bene ſit in loco & aſpectu. Sic etiam dominus horæ & aſcendentis. In itinere maris caue in primis, ne ſit Saturnus dominus horæ, nec in domo *decima, uel nona, uel tertia, & ſit Luna cum planeta fortuna*, uel cum *eius aſpectu. Experimento aſſeritur Lunam* eſſe bonam ad iter maris, ſi eſt in *Ariete* fortunata, uel ab*ſque* iniquo aſpectu. In Piſce autem mala eſt, & in Capricorno, & in uia combuſta.

CAPVT XVI. PRO CORONATIONE REGIS.

SIt aſcendens firmum & melius Leo, quod ſi *Sol* ſit in Ariete, nec infortuna planeta illum aſpiciat, ſit Aries aſcendens. Si Iupiter in Cancro, Luna uero in bono loco fuerit, ſit Cancer aſcendens, & ſit dominus horæ, Sol uel Iupiter, Semperq; Luna aſpiciat aſcendens, uel eius dominum aſpectu bo-

no, nam contraria alterutri, suos regi insurgere significat, nec sit Saturnus, nec Mars in domo decima.

Quærens cuiusque rei electionē planeta eiusdem naturæ cum illo, de quo queris, sit in ascendente, uel aspiciat ipsum uel eius dominū aspectu amicitiæ, Nec sit Luna carens aspectu, uel coniunctione in petitione rei quam optas, nec sit in loco ubi non recipitur, nec det uim planetæ, qui sit sub Sole, uel retrogradus, sed spectet ascendens, uel eius dominum aspectu amicitiæ. Melius etiam cum planeta coniunctus fortunæ aspectu uel coniunctione, nec sit cum planeta infortuna, nisi quod expetis, sit naturæ ipsius infortunæ, ut ensis est naturæ Martis. Dominus horæ sit etiam fortuna. Melius est etiam ut ascendens sit ex signis rectis quàm obliquis.

CAPVT XVII. PRO EMPTIONE bruti animalis.

IN emptione bruti animalis, si equi, sit Sol in bono loco, & planeta fortuna in duodecima. Dominus eius sit in ascēdente, uel aspiciat ipsum, uel dominum ascendentis aspectu amico, Si de muli emptione deliberas Mars dirigatur, Si asini Saturnus, Si Bouis Luna, Si pecudum Mercurius. In nulla emptione sit dominus duodecimæ in septima, nam labetur alias ex bestijs emptis.

CAPVT XVIII. DE ELECTIONIBVS Indorum Dorothij secundum mansiones Lunæ uiginti octo, quando Luna est in aliqua ipsarum.

MANSIO PRIMA.

PRima dicitur cornua Arietis, & dicunt Indi Lunam ibi bonam esse pro medicina bibenda, pro pullis & primo equitandis, pro terrestri itinere ante meridiem.

Dorothius ait Lunam malam ibi esse, & in toto Ariete, pro uxore ducenda, & etiam pro seruis emendis, nam fugient nisi sit ibi coniuncta fortunæ planetæ, sed bonam esse dicit pro emenda bestia, & nauibus mari immittendis. Malam pro communi, nam soluetur communio, Bonam pro exordio armorum, uel aliarum rerum bello necessariarum componendarum, Item pro arbore plantanda, pro nouis uestibus induendis & incidendis, nisi fuerit cremata uel proportionalis infortunis.

MANSIO SECVNDA.

SEcunda dicitur uenter Arietis. Indi in ipsa semper fodiũt puteos & flumina.

Dorothius malam dicit eam pro uxore ducenda, pro emendis seruis. Bonam in maris uia. Captus uel incarceratus in ea male punietur, tarde liberabitur.

MANSIO TERTIA.

TErtia est caput Tauri, Indi dicunt bonam esse in medicina bibenda. In uia terræ mediocrem.

Dorothius ait naues tum in mare missas procellis exagitatas iri, Non bonam pro uxore ducenda, pro communi cũ maiori, pro emendis seruis, uaccis, ouibus, pro plantatione arborum, semine, pro nouarum uestium indutione, Sed bonã pro inceptione operum cum igne uel uenatione. Malam pro incarcerandis.

MANSIO QVARTA.

Quarta est sidus magnum, quod oculus Tauri dicitur. Indi in hac seminant, ædificia componunt, nouas uestes induunt, uia terræ eunt à tertio die.

Dorothius malam esse dicit pro uxore ducenda, bonam pro seruis emendis, nam domino fideles erunt, Bonam pro emenda bestia, in mari tempestatem significare, & malam in communi cum maiori, qui in ea incarcerãtur, tarde & redemptione census euadent, bona est pro puero rege conando.

MANSIO QVINTA.

Quinta est caput canis ualidi. Indi dicunt bonam esse pro uxore ducenda, & filijs literis instituendis ac fide, in uijs etiam nisi sit cum eo infortuna.

Dorothius ait bonam esse ad emendos seruos. Sicut in omni signo humanæ similitudinis. Malam autem in constructione ædificiorum in uia maris in communi cum maiori, Capti in ea tarde euadunt.

MANSIO SEXTA.

Sexta est sidus paruum. Indi dicunt bonam in rei accessu, pro capiendis prædonibus. Malam in semine, in uia, in commendatione census.

Dorothius ait ad iter maris bonam esse, sed tarde classem reuersuram, Ad commune optimam, in ea captiui nisi tertia die euaserint tardabuntur, Bonam ad uenandum, malam pro medela sumenda in uulnere, ultione habenda, In ea ueste indutus noua, igne uel inquinatione eam perdet.

MANSIO SEPTIMA.

Septima

SEptima est brachium Leonis. Indi dicunt bonã esse in seminando, mercando, pulsos domando, eundo in terra post duas diei partes.

Dicit Dorothius naues tum prospere ituras, sed tarde reuersuras. Bonam in communi cum fructu magno. Deiectus in carcerem, nisi triduo extrahatur tarde euadet. In ea quis incipiens non finiet, nisi iterum inchoat. Bona est pro ueste noua induẽda, pro seruis emendis, pro pace cum inimicis reconcilianda, pro uia terræ. Mala est in emenda terra, in exordio medendi morbo.

MANSIO OCTAVA.

OCtaua nebula dicitur. Indi autem eam bona esse perhibent in uestiendo, pannos incidendo, in uia terræ, excepta ultima tertia noctis, quæ mala est.

Dorothius ait eam esse malam pro uxore ducenda, nam contentiosa erit, & eandem seruos circumuentores in omni negotio significare. In ea naues prospere ibunt breui reuersuræ. Socij communis in ea decipientur inuicem, captiui tarde liberabuntur.

MANSIO NONA.

NOna oculus Leonis dicta. Indi dicunt malam in seminando & in itinere terrestri.

Dorothius ait naues incolumes breui reuersuras. Socios communis inuicem deceptos iri, Tarde euadet in ea captiuus. Mala est in ueste noua, nam ipse & uestis patientur. Bona est pro ædificijs constituendis.

MANSIO DECIMA.

Decima

DEcima frons Leonis dicitur. Indi docent bonam esse pro uxore ducenda, in iocũditate pecoris uel alterius rei, Malam in uia terrę, in custodia census, pro ueste noua.

Dorothius ait bonã esse in constitutione operũ, Lucrosam in cõmuni cũ fidelitate sodalium, Incarceratos tarde euasuros.

MANSIO VNDECIMA.

u Ndecima capillus dicitur. Indi autem bonam esse tradũt pro bello in ciuitate, plantando, seminando.

Dorothius ait bonam esse in combustione, significare lucrum & concordiam in communi, Incarceratos in ea significatur grauiter peccasse, tarde euasuros.

MANSIO DVODECIMA.

DVodecima cauda Leonis appellatur, Indi dicũt bonã esse in constructione, seminando, plantando, uxorẽ ducendo, noua induendo, in uia terræ eundo prima tertia diei.

Dorothius ait mutuũ datum in ea cum labore quis recipiet, Naues in mari passuras. Bonam in lucro, in causis perficiendis. Incarceratus in ea primo patietur, liberabitur cito. bonam ad emendos seruos, nisi quod erunt ingluuiosi.

MANSIO XIII.

TErtia decima canis dicitur. Indi in ea medentur, seminãt ambulant in uia terræ, uxores ducunt, sed in fine diei nõ ambulant.

Dorothius ait qui uirginem in ea duxerit paucis diebus iuncti in uita manebunt Bonam in seruis emendis domino fidelibus, Naues in ea egressæ redibunt tarde, Captiui detrimentum accipient. Bonam esse ait in uestiendo noua, pro medicina danda, in accessu ad regem, in claritate cibi & potus.

MANSIO XIIII.

QVarta decima spica dicitur, Indi dicunt eam bonam in mercando, uxorem ducendo uirginem uel non, Malam in seminando, plantando, uia terræ, in custodia census, Bonã in medicina danda.

Dorothius ait, qui in ea uxorem duxerit parum cum ea uiuet, bonũ tamen est cum corrupta matrimonium tum contrahere. Bona est in emendo seruos domino fideles, in nauibus, in communi lucro. Incarcerati, in ea cito euadunt.

MANSIO XV.

QVinta decima cooperta dicitur. Indi cauant in ea puteos nõ uia ulla eunt, sumũt medelã, si ex uentositate patiẽtur.

Dorothius refert desponsationem in ea destruendam, malam in accommodatione census, in uia terrę & maris, significare in communi deceptiones, Bonam in permutatione domus, malam in emendis bestijs, in seruis bonam.

MANSIO XVI.

SExtam decimam cornua *Scorpionis dicunt*. Indi non medentur in ea, nec ulla utuntur uia, non plantant, non seminant, non incidunt pannos, non induunt noua.

Dorothius ait malam in uxore ducenda, nam uel morietur cito mulier, uel ui auferetur. Bonam in fidelitate seruorũ. Malam in uia maris & terrę, significare in cõmuni contentionem multam absq; lucro. Incarcerati aũt in ea breui euadũt.

MANSIO XVII.

DEcima septima corona dicitur. Indi dicunt bonã in ducẽdo armẽta in pascua, induendo noua, bellũ urbi faciẽdo.

Dorothius

Dorothius ait non esse bonam pro uirgine ducenda, sed bonã pro operum constructione, Naues primum angentur, demum euadent, In communi discordia & deceptio. Bonam ad cõciliandas amicitias, ad medelam sumendam, malam pro seruis emendis.

MANSIO XVIII.

DEcima octaua cor Scorpionis est. Indi dicunt bonam in constituendo terrã, emendo, coronando, in uia orientali.

Dorothius ait, qui ducit uxorem in ea, putat falso uirginem inuenire, & plus si ibi est Mars, Malam dicit in emendo seruos, Bonam construendo, Naues prosperabuntur, in communi erit destructio, Bona est in medicina, in induendo noua.

MANSIO IX.

u Ndeuigesima cauda Scorpionis uocatur. Indi bonã aiũt in bello, uia, semine, plantatione. Malã in custodia cẽsus.

Dorothius ait qui duxerit uxorem Marte ibi cum Luna existente, isiungetur ab ea breui, mala est in emendis seruis, naues infringentur, discordia erit in communi, Incarcerati contumelijs afficientur.

MANSIO XX.

u Igesima est Trabs. Indi dicunt bonam in emendo animalia, in uia mediocrem.

Dorothius ait bonam in emendo animalia magni precij, Malam in communi, incarcerati affligentur.

MANSIO XXI.

VIgeſima prima eſt dicta deſertum. Indi dicunt bonam in ſtruendo, ſeminando, emendo, terras & beſtias, induẽdo noua, in uia mediocrem.

Dorothius ait in ea mulier ab uiro uiuente, uel moriente deſtituta ſemper uidua manebit, dicit mediocrẽ eſſe in emendo ſeruos, qui arrogantes uel fauſti magis futuri ſunt.

MANSIO XXII.

VIgeſima ſecunda *dicitur* paſtor. Indi *bibunt in ea medelas, uia eunt excepta ultima diei tertia*, noua induunt.

Dorothius ait ſi ibi ſit deſponſatio, ſiue non coniungantur, ſiue cõiuncti fuerint ante ſex menſes uir morietur, uxor autem meretrix erit. In ea ſeruus fugiens ad domini redibit manus. Mala eſt in emendo ſeruos, nam fugient, in nauibus bona, niſi quod modicum inquietabuntur. Eſt bona in communi cum multo lucro. Captiui breui euadunt.

MANSIO XXIII.

VIceſima tertia *deglutiens dicitur. Indi dicunt* bonam in medela, induendo noua, eundo terra niſi ſit media diei. Malam in cuſtodia cenſus.

Dorothius ait in deſponſatione uxorem contra uirũ ſuperbituram. Malam in emendo ſeruos. Bonam in nauibus, et in communi. Incarcerati in ea breui euadent.

MANSIO XXIIII.

u Igeſima quarta fortuna dicitur. Indi dicunt malã in emendo, in nouis induendis, in uxore ducenda, bonam in medicina, uitandam in expeditione.

Dorothius ait deſponſationem eo tempore initam parũ duratu-

duraturam. Naues parum lucrabuntur, In communi mala, in diuiſione litigium, Bona in emendo ſeruos, nam erunt fideles & fortes. Captiui in ea breui euadent.

MANSIO XXV.

u Igeſima quinta papilio dicitur. Indi dicunt bonam in expugnando urbes, in ſpeculatoribus mittendis. Malam in ducendo uxorem & ſeminando.

Dorothius ait deſponſationem defecturam. Bona eſt in emendis ſeruis, nam erunt fideles & fortes. Bona in ineundo uiam maris, etſi tardus ſit reditus. In communi mala. Captiui tarde euadent.

MANSIO XXVI.

u Iceſima ſexta primus hauriens dicitur. Indi aiunt malam in medela, bonam in uia, niſi prima tertia diei.

Dorothius ait deſponſationem in ea inceptam breui deſtruendam. Bonam in ſeruis emendis, nam erunt fidi & uirtuoſi. Bonam in conſtruendo nauigio, niſi quod tardus erit reditus. In communi mala, captiui in ea non euadent.

MANSIO XXVII.

u Iceſima ſeptima ſecundus hauriens dicitur. Indi dicunt bonam in emendo, ſeminando, uxorem ducendo, in uia excepta tertia diei media. Bonam in medela, malam in cenſus accommodatione uel commendatione.

Dorothius ait naues excruciandas, Malam in ſeruis emendis, Captiuos tarde euaſuros.

MANSIO XXVIII.

Vicesima octaua dens Piscis dicitur. Indi dicunt bonam in emendo & uendendo, Malam in accommodatione, uel commendatione census.

Dorothius dixit bonam in desponsatione, in uia mediocrem, Naues patientur, Malam in emendo seruos, Nam erunt iracundi, commune in ea bonum in exordio, malum in fine, Incarcerati tarde euadent.

CAPUT ULTIMUM.

IN omnibus prædictis cauendum est, ne sit Luna in coniunctione Solis, uel cum planeta infortunio, uel in eius aspectu. Et melius in omni inceptione, ut sit seiuncta à coniunctione, uel aspectu infortunij planetæ, & sit coniuncta fortunæ, uel eius aspectui. Ipsa numeratio mansionũ Lunæ est à principio primæ mansionis Arietis in gradibus duodecim uno & quinquaginta minutis, et uiginti secũdis. Est itaq; mansio prima ferè gradibus sedecim Arietis, & uno minuto. Hæ autẽ mansiones sunt similitudines apparentes infirmamẽto. Est itaq; exordium ipsarum mansionum secundum tabulas, quæ sunt factæ in motu Solis à circulo recto, à sedecim gradibus Arietis. Hoc tempore 1142. Annorum Christi.

TABULA VIGINTI OCTO Mansionum Lunæ, Ad annum Christi 1142. completum.

Nomina

Nomina 28. Mansionũ à stellis fixis desumpta.		Initia mansionum. S.	G.	M.	Natura.	
1	Cornua Arietis.	♈	16	1	Sicca	Infortuna.
2	Venter Arietis.	♈	28	52	Temperata	Fortunata
3	Caput Tauri.	♉	11	43	Humidissima.	Fortunata
4	Oculus Tauri.	♉	24	35	Humida temperata.	Infortuna.
5	*Caput Canis ualidi.*	♊	7	26	Sicca & calida.	Infortuna.
6	Sidus magnæ lucis.	♊	20	18	Temperata.	Fortunata
7	Brachium Cancri.	♋	3	9	Humida.	Infortuna.
8	Nebulosa cũ nube med.	♋	16	1	Temperata.	Fortunata
9	Oculus Leonis.	♋	28	52	Sicca.	Fortunata
10	Frons Leonis.	♌	11	43	Humida.	Fortunata.
11	*Capillus Leonis*	♌	24	35	Tẽperâta uers. frigus	Infortuna.
12	Cauda Leonis.	♍	7	26	Sicca.	Fortunata
13	Cingulus Virginis.	♍	20	18	Temperata.	Fortunata
14	Spica Virginis.	♎	3	9	Humida multum.	Fortunata
15	Cooperta.	♎	16	1	*Sicca.*	Infortuna.
16	Lances Libræ.	♎	28	52	*Frigida* & humida.	Infortuna.
17	Corona *Scorpij.*	♏	11	43	Humidissima.	Infortuna.
18	Cor Scorpij.	♏	24	35	Sicca.	Fortunata
19	Cauda Scorpij.	♐	7	26	Humida.	Infortuna.
20	Trabs	♐	20	18	Temperata ad cali.	Fortunata
21	Desertum.	♑	3	9	Temperata	Fortunata
22	Pastor.	♑	16	1	Temperata.	Fortunata
23	Glutiens.	♑	28	52	Humida.	Fortunata
24	Sidus fortunæ.	♒	11	43	Tẽperata uers. frigus.	Fortunata
25	Papilio.	♒	24	35	Humida.	Infortuna.
26	Primus hauriens aquã.	♓	7	26	Humida.	Fortunata
26	Secũdus hauriens aquã.	♓	20	18	Sicca.	Infortuna.
28	Piscis.	♈	3	9	Sicca.	Infortuna.



69 7 8 ℓ
1, 3, 0 ℓ

N° 1905.

